

Wien 1794

Q. J. R.

D. CHRIST. AVGVSTI CRVSII

S. THEOL. PROF. PVBL. ORD. IN ACAD. LIPS.
ET PHILOS. PROF. PVBL. EXTRAORD.

EPISTOLA

AD

PERILLVSTREM

ET

GENEROSISSIMVM DOMINVM

DOMINVM

IOANNEM ERNESTVM

L. B. AB HARDENBERG

CVBICVLI REGII, IN AVLA POTENTISS.
MAGNAE BRITANNIAE REGIS ET ELECT.
BRVNSVICENS. VICECOMITEM, DYNASTAM
IN HARDENBERG, GEISMAR, LINDAV,
WIDERSTEDT, RELIQA

DE

SVMMS RATIONIS PRINCIPIIS

SPECIATIM

DE

PRINCIPIO RAT. DETERMINANTIS

OPPOSITA

V. CL. M. IO. DAN. SCHVMANNI

PAEDAGOG. CLAVSTH. DIRECT.

ANIMADVERSIONIBVS

IN RECENTEM DE PRINCIPIO RAT. SVFFIC.

CONTROVERSIA M.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

A. MDCCLII.

D. CHRIST AVGVSTI CESARII
S. THEOL. PROF. PAVLINO DE S. S. LITTE.
II. THEOL. PROF. PAVLINO DE S. S. LITTE.

EPISTOLA

PER FELIX STRUM

GENEROSSISSIMAM DOMINAM

DOMINAM

IOHANNEM ERNESTVM
L. E. AB HARDENBERG

CAVILLI RECH. IN AVIA PAVLINO
M. THEOL. PROF. PAVLINO DE S. S. LITTE.
BRUNSVIGENSIS THEOLOG. FACULT.
IN HARDENBERG. GOTTFRID. PAVLINO
DE WITTE. THEOL. PROF. PAVLINO

SVMMS RATIONIS PRINCIPIS

PER

PRINCIPIS RATIONIS PRINCIPIS

DE

V. G. M. IO. DAN. SCHYMAN

LABOUR. THEOL. PROF. PAVLINO

AN. MADYBENSIS

IN RECHEN. DE THEOL. PROF. PAVLINO

DE WITTE. THEOL. PROF. PAVLINO

PER

EX GOTTFRID. PAVLINO

DE WITTE. THEOL. PROF. PAVLINO





PERILLVSTRI
E T
GENEROSISSIMO DOMINO,
D O M I N O
IOANNI ERNESTO
L.B. ABHARDENBERG
PATRONO, FAVTORI, AMICO
SINGVLARITER COLENDO

S. P. D.

D. CHRIST. AVG. CRVSIVS.



uum nuper inopinato ad nos in- *Introitus.*
uiferes, PERILLVSTRIS ET
GENEROSISSIME DOMI-
NE, eo gratior hospes, quomagus inspera-
tus, mox, vt solent litteratorum hominum
sermones, a rebus, quae vitam, fortunam,

A 2

valetu-

4 DE SVMMIS RATIONIS PRINCIPIIS

valetudinem, amicos denique, spectant, facile auocari, et ad veritates generales assurgere, oratio nostra ad priscam diuertit consuetudinem super quibusdam philosophiae locis, controuersis illis potissimum, aut difficiles explicatus habentibus, disserendi. Itaque inter primos recordationem quoque subiit recens disputatio non multis antea mensibus mecum instructa a viro clarissimo, amplissimoque, M. IOANNE DANIELE SCHVMANNO, *paedagogii Clausthaliensis Directore, qui animaduersiones in recentem de principio rationis sufficientis controuersiam publicauit, quae superiori anno Gottingae litteris Hagerianis excusae sunt, et decem plagulas complent.* Liber enim hic auctoris non vulgariter docti, perpolitus ille, et optimis in hoc genere sine dubio accensendus, mihi potissimum destinatus dicam, an oppositus est, illustri D A R I E S I O, celebratissimo Ienensium philosopho, vnica fere paragrapho tacto, multo parcius etiam plurimum reuerendo B O E L D I C K E O, Spandauiensis ecclesiae ministro praeclare merenti. Mirifice gaudebam, euenisse, quod praeuideram, quum intelligerem, T E, P E R I L L V S T R I S H A R D E N B E R G I, quod caput est in hac qualicunque dissensione, subtiliter et accurate perspexisse. Est sane hoc, quod in T E semper miratus sum, cuiusque causa T E singulariter colui, et, de ingenio T V O reipublicae pariter ac bonis litteris summa quaeuis speranda esse, semper duxi,

duxi, quod in omni philosophia nihil tam
 subtile reperiri posse videatur, quod, dum-
 modo humana follertia explicari possit, TIBI
 arduum sit et difficile, quodque nihilo secius
 neque ad solam philosophiam, neque ad hanc
 potissimum, animum adiungere soleas, sed,
 iuncto cum disciplinis reliquis philosophiae
 studio, ad eam tendas eruditionem, quin
 etiam perueneris iamiam, quae, uti sola vera
 est et profunda, ita potissimum in homine
 generis nobilitate clarissimo, maximisque re-
 bus praeficiendo, splendidissima quaeque, et
 late profutura, pollicetur. Saepe mecum
 recogito dulcissimam TECUM consuetudinem,
 nec horas tantum, sed dies differentibus no-
 bis suauissime deficientes, TVIQUE eo magis
 mihi cara et iucunda memoria est, quo ra-
 riores occurrunt, qui comparari TECUM
 possint, ex quo remotior spes videtur TIBI
 parem reperiendi. Quum igitur de difficul-
 tatibus a clarissimo SCHVMANNO ob-
 iectis vnum alterumque exponerem, ita qui-
 dem, ut sermoni meo saepe praeueteret
 acumen TVVM, praesentens celeriter, quae
 dici debeant, quaeque dicturus eram, ante-
 quam absoluerem, iam explanans, et consueta
 TIBI eloquentia illustrans: quaerebas ex
 me, annon publice responsurus sim, praeser-
 tim prouocatus etiam ab auctoribus *epheme-
 ridum Göttingensium*, viris, qui in primis in
 magno nomine et gloria sunt. Ego vero ab ini-
 tio iam consilium defendendae publice causae

meae ceperam, etiamsi non accessisset doctissimi Gottingensis perhumana ad scribendum inuitatio, quae parte ephemeridum superioris anni LXXXVII. extat. Postulabat enim hoc tum indoles scripti SCHVMANNIANI, tum causae, quae agitur, dignitas et innocentia. Est enim clarissimi SCHVMANNI tractatus acute, compositae et eleganter adornatus, dignus docto homine et veritatis amante, SCHVMANNVS vero aliis, quos passim expertus sum, aduersariis multo absimilis, quorum siue obtusio siue perplexitas ingenii, morositas, cauillandi etiam, dictaque detorquendi libido, sermonis etiam interdum barbaries, taedium mouerunt. Quare etiam clariss. SCHVMANNO, qui tractatum suum vna cum litteris officiose scriptis ad me miserat, et optionem dederat, qua vsquam occasione uti, quaeque sentiam, secum communicare vellem, iam pridem de certo expectanda publica responsione, rescripseram, differenda tamen illa aliquantisper, non quod haerebam in rebus, sed quod temporis mei et negotiorum rationes ita iubebant. Confirmauerat propositum, quod in aliis diariis rem nostram parum accurate propositam legeram, non secus ac si cl. SCHVMANNVS meam euersum iret sententiam, quin etiam hoc praestiterit, quod nescio, num scriptorum festinationi debeatur, iudicantium forte, antequam satis legerant, an vere illis ita visum fuerit, quod certe in docto et attento homi-

homine vix credibile, an denique studio laudandi sectam, quam ipsimet amplexi sunt, contigerit. Nosti enim, mi HARDENBERGI, esse etiam, qui, siue diffidentes causae, siue ingenium libere secuti, quod argumentis non valent, ducum et gregalium immodicis laudibus tentant, quippe vt imperitum vulgus, quod mouetur his rebus, nec capere solet, quid intersit inter censuram operum opificum et litteratorum, quae vtraque a magistris agitur, modo tamen frequenter admodum diuerso, circumueniant, et alliciant. Ita enim efficere student, vt in suis solis hominibus auctoritas esse, solaque istorum sententia in laude versari, contra dissentientium res iam conclamata videatur. Leniter profecto et aequabiliter hoc ferunt, qui recti sibi conscii sunt, quamquam vere indignissimum sit. Parum enim sapere oportet eum, qui immemor sit, quibuscum viuatur hominibus, aut sua opera effici posse confidat, vt ingenia hominum, in tot sententias aduersione, studio, moribus ipsarumque virium modulo distracta, in consistenda sequendaque veritate consentiant, a qua quidem nimis felici spe quodlibet dogma eo magis seiunctum est, quo magis cum religione et officiis hominum agnoscendis est copulatum, in quibus adfectio animi liberum ingenuumque iudicium rarius permittit. Ferenda igitur aequissimo animo est sentiendi libertas, quam bonus quisque ipsemet petit.

Neque etiam est, quod timeamus, veritati
 vnuquam suum apud permultos bonos graues-
 que viros honorem defuturum. At eo dili-
 gentius quoque studendum est, vt his, si
 exiguo discrimine a nobis dissideant, potissi-
 mum vbi id ex mente nostra parum sufficien-
 ter percepta pendeat, probemur, et, quoad
 eius fieri potest, purgati simus. TIBI igitur
 quaerenti, GENEROSISSIME HARDEN-
 BERGI, quid de soluendis publice dubita-
 tionibus cl. SCHVMANNI statuerim, dixi,
 me omnino responsurum, quin TIBI ipsi
 quicquid erit responsionis inscripturum. TE
 enim quis aut aequior aptiorque quaestionis
 huius arbiter, aut rerum mearum curiosior
 cupidiorque, aut dignior denique, ipsoque
 cl. SCHVMANNO gratior eligi posset? est-
 que iam, cur de aduentu TVO insperato mi-
 hi magis gratuler, quoniam capiendi huius
 consilii ansam praebuit. Cl. enim SCHV-
 MANNVS, qui ciuis TVVS est, communi-
 que TECUM patriae patre vtitur, quidni etiam
 TIBI, patriae decori et ornamento, proba-
 tior et coniunctior esse studeat? quod vbi
 pro optimo viro, in cuius memoriam ex
 epistola mea, quam scio TE seruaturum, re-
 tuocaberis, largius obrinere potuero, mirifice
 ipsi gaudebo, et mihi.

*Dignitas
 quaestionis.*

Est omnino quaestio, de qua agitur, per-
 magni momenti, eaque, quoniam in vtram-
 que partem perpetuo disputabitur, a nobis
 nunquam deferenda. Summa enim cognitio-

ois

nis humanae principia attingit, omniumque scientiarum fundamenta, ut errorem hoc loco admissum latissime manare necesse sit. Commemorabo tantum, quae cum munere meo maxime coniuncta videntur. Nempe certissime habeo exploratum, ex erronea illa principii rationis sufficientis conformatione, quam a LEIBNITIO acceptam, et a perillustri WOLFIO magis ornatam, multi in coelum laudibus tollunt, eiusmodi philosophiam gigni necesse esse, quae cum scriptura sacra nullo modo consistere possit. Verba quidem, re sublata, a multis feruantur, quae tamen, simulac notiones istorum hominum accurate subiiciuntur, non magis Christiana sunt, quam Senecam recte Christianum, aut Virgilium prophetam, dixeris, cuius rei specimen aliquod dedi in tractatu meo *de limitibus princip. rat. det.* §. VIII. Causa vniuersi huius doloris fatum est, quod inducitur, seu necessitas consecutionis omnium rerum. Talis enim si ubique necessitas obtinet; doctrina de scopo mundi, de actionum humanarum principiis et libertate, de virtutibus et vitiis, aliam plane formam induit. His vero ad theologiam Christianam deinceps translatis, quid, dummodo aliquis ea pressè sequatur, iudicari debeat de summis Christianismi capitibus, veluti de trinitate, de lapsu et peccato originali, de auxiliis gratiae, de poenitentia, de precationibus, similibusque, prudentibus obscurum non est. Nae, si

modo precationem poenitentialem effingere vellem, qualis ex theoria Leibnitiana esse debeat, non communia verba seruando, sed vtendo ipsis notionibus, quales hoc systema poscit et gignit, ferme, vt TILLOTSONVS * alicubi in sermonibus sacris pudefaciendi causa precationem finxit hominis moribundi, qui poenitentiam ad extremum vitae tempus differre constituerat: illam quidem bonus animus multo magis, quam hanc, exhorresceret. Parco tamen, ne, dum erroris vim demonstrare cupio, id agere videar, vt patronis eius inuidiam faciam. Hac vero suspicione me prorsus liberari, volo. Est enim quisque error ita grauissime rerundendus, vt cum maximo magnarum rerum periculo coniunctus est. Veruntamen ideo nimis duriter se haberi, non conquerendum est his, qui eius patrocinium susceperunt. Quod vt luculentius appareat, lepidam TIBI Tibi historiam narrabo, PERILLVSTRIS HARDENBERGI, cuius ipse testis fui, quaeque illustrandis modo dictis mirifice inseruit. Eram, quum Lipsiae aliquandiu litteris operam dare coepissem, vna cum aliquot amicis. Intererat doctor aliquis, qui tunc in academia nostra scholam habebat, nunc in extera quadam docet. Iniectae sunt disputataeque variae quaestiones ad philosophiam pertinentes.

*Errores
accusantur,
non
homines.*

* Musersesene Predigten I. Th. 8. Pred. S. 377.
der andern Auf.

tes. Ego quidem, vt decebat tironem, auditor potius, quam collocutor, eram. Ad-
erat etiam magister aliquis non mediocriter
doctus, qui etiamnum de ecclesia in hac vrbe
bene meretur. Is quum super harmonia prae-
stabilita disputaretur, infit ad doctorem, hu-
maniter quidem, nec reprehendendi, sed
obtestandi causa, profecto fieri non posse, vt
corpus humanum ad suscipiendas tam stu-
pendae varietatis actiones habile sit, nisi men-
tis vi et imperio regeretur. Ecquid igitur
nobilis ille doctor? Corrugauit e vestigio
frontem, incredibili accensus est ira. Distor-
to huc illuc minitante vultu abiecit fistulam,
qua fumum herbae Nicotianae trahebat. Pul-
savit mensam, vt impositis vasis metuere-
mus. Tunc ergo, ait, me impossibilia sta-
tuere, existimas? At hoc est, dicere, idem
simul esse et non esse secundum idem. Stul-
tus ergo sum, non philosophus (quod cre-
debamus ex parte, sed nequaquam propterea,
quod confirmauerat, quae fieri non possunt).
Tunc subsiliit e sella, ad ianuam properans.
Aegre a cunctis surgentibus et humiliter de-
precantibus retractus est. Mox tamen, ne-
gotia causatus, nihilo secius aufugit. TVVM
ergo iudicium esto, HARDENBERGI,
num stultum dixerimus bonum virum, eo
quod, placita eius fieri non posse, opinaba-
mur. Perspicias igitur, quo loco me habere
oporteat, quicumque disciplinam LEIBNI-
TII sectantur, si forte, quae de vi erroris
Leib-

Leibnitiani differui, contra ipsius celeberrimi viri, aut suam, famam dicta autument. Quae enim magis communis est mortalium imbecillitas, quam quod in rebus, quae multum subtilitatis habent, etiam ubi optime mereri volunt, abducantur interdum ad assera, quae tam late patent, ut exinde non modo consequantur, quae stabilire volebant, et quorum causa se indigere tali principio putabant, sed multa etiam alia, a quibus alieni sunt, quaeque ubi perspicerent a suis principiis seiungi non posse, agnoscerent ipsi, quod in constituendo principio nimis festinauerint. Sic, ut de mei ordinis dicam hominibus, annon multi sunt clari theologi, qui etiamnum tenent, ex disciplina Leibnitiana ad causam religionis mirificam peruenire posse vtilitatem. Nimirum eam ob causam ita pronunciant, quia systema Leibnitianum ab ea duntaxat parte intuentur, qua inuisi quidam errores cum illo consistere nequeunt, adeoque per illud refutari existimantur, tum veritates, quas maxime confirmatas volunt, cum illo indiuiso nexu copulatae videntur. At enimvero idem systema non ab omni parte, aut vniuersum eius ambitum, contemplantur, ideoque non animaduertunt, quantopere illud simul infringat vel debilitet doctrinas, quas ipsi factas tectasque cupiunt. Grauem enim errorem, non statim omnibus omnino recte dictis opponi, necesse est. Nulla est vera propositio,

nisi

*Cur multi
Leibnitia-
nos errores
bona mente
defendant.*

nisi quae ab omni parte vera est. Caeterum quum nemo erret consulto, sed meditationis lapsu, commiscens, quae seiunxerat natura, aut parum discernens, ac diuidens, quae coagmentata, necdum soluta, a natura exhibentur: fit inde, vt nullus facile error reperiri possit, ex quo non multa, etiam vera, concludi possint, talia nempe, quae aliis ex causis vera sunt, neque per id, quod in erronea propositione perperam sumitur, excluduntur. Ineptum tamen esset, si quis, coargui errores, eo nomine prohiberet, quod a multis bono animo teneantur. Dan-
 tur enim etiam alii, qui eorum vim, quan-
 tum ad eliciendas conclusiones attinet, acu-
 tius vident. Hi, si de principiis dubitare
 desierint, annon se in peruersissimis opinio-
 nibus prorsus confirmatos existimabunt? Si-
 militer nostra aetate magna dolendaque rei
 Christianae damna passim intulit philosophiae
 Leibnitianae vsus dicam, an abusus. Sunt
 enim, qui bene vtantur, quod tamen dun-
 taxat de illorum studio bonam causam defen-
 dendi capiendum est. Dantur vero non
 minus, qui secus vtantur, nempe pro tuen-
 da mala causa, quamquam ea hypothetice sic
 accuratius vtentes et subtilius. Nolo iam
 exempla referre, quae magno numero pu-
 blice extant, quorum aliqua TIBI sponte in
 memoriam recurrent. Quod maxime in
 hac causa mecum dolere soleo, hoc est, quod,
 malis superstruendo principiis, multa maxi-
 mum

*Cur erro-
res illigra-
uiter re-
primendi
sint.*

mum pondus habentia non legitime proban-
 tur, produntur igitur obtrectatoribus, qui,
 obseruatis in concludendo saltibus, rem me-
 lius geri non posse, existimant, quo fit, vt
 veritatem secure contemnant. Ecquis igitur
 moleste non ferat, multa bona ingenia cir-
 cumueniri lenibus et captiosis verbis, et al-
 lici, vt aetatem consumant in disciplina pa-
 rum profutura, nec satisfactura his, qui se-
 cundum intelligentiam communem iudicare
 solent, atqui saepenumero praeter hanc vix
 quidquam norint, ita, vt mentem aduerfa-
 riorum vix capiant. Quapropter, vt re-
 deam, vnde diuerſi, causam, quam suscep-
 i in exponendis principii rationis determinan-
 tis limitibus, nunquam deferendam esse ex-
 istimabo. Scio et praeuideo multorum re-
 prehensionem, quorum aliqui bona fide dis-
 sentiunt, quidam fatum vere statuunt, sibi-
 que eclecticum religionis genus cudunt, ar-
 ripientes ex Scriptura sacra, quantumcunque
 conciliare possunt, reliqua aliter fingentes
 et refingentes, seruatis tamen plerumque
 consuetis nominibus, ne in publicam repre-
 hensionem incurrant. Abundet suo quisque
 sensu, nam pro anima sua ipsemet Deo ra-
 tionem reddet, et, quomodo in beneficio-
 rum diuinorum oeconomia versetur, videat
 ipse. Caeterum non exiguam exinde vo-
 luptatem capio, quod studium virorum, qui
 eandem mecum causam egerunt olim, et nunc
 defendunt, meamque ipsius qualemcunque
 opellam

opellam, fructu nequaquam carere, intel-
ligam.

Atque etiam fructus huius non exiguam ^{In quo} partem ex ipso, quod nunc tracto, cl. SCHV-
SCHVMANNI scripto, viri optimi et egre-^{MANNVS}
gie docti, cepisse mihi videor. Nosti enim, ^{a me dis-}
GENEROSISSIME HARDENBERGI, non ^{sensiat.}
id agi, ut SCHVMANNVM ad sententiam
pertraham, aut magni erroris conuincam.
Neque enim a me dissentit, quantum ad id,
in quo arx et caput rei ponitur, et, nisi fi-
ducia causae nimis mihi blandior, ex scriptis
meis ex parte hausit, quae in sentiendo me-
cum communia habet. Agitur duntaxat inter
nos *de ratione ac methodo, qua summa
cognitionis humanae principia commodissime
ordinari ac deduci debeant.* Eaque ipsa in
re mecum vix dissensurum reor clarissimum
virum, si, quae animo voluebam, plene
percepisset. Forsan praeuerti poterat, quic-
quid est inter nos dissensionis, si in libris
meis aliquot loquendi, potissimum transeun-
di, formulas aliter instruxissem. Sed quis,
quaeso, siue praeuidendis quibuscunque du-
biis, siue praescindendis, facile idoneus est!
Quin etiam, dum alteri clariores esse stude-
mus, nebulam offundimus alteri. Breui
complectar, quid sibi voluerit doctissimus
admonitor. Agnoscit, me recte contra illi-
mitatum, quale LEIBNITIVS commentus
et, rationis determinantis principium dispu-
tasse. Faretur, actum esse de libertate humana,

fi

si valeat illud. Prorsus meo more contendit, illud neque legitime probatum esse unquam, nec probari posse. Ergone mihi aduersus est cl. SCHVMANNVS, an iis potius, qui cum LEIBNITIO sentiunt, maleque agi cum illustri hoc homine arbitrantur, nisi celeberrimum etiam metaphysicum faciant eum, re ipsa reclamante, quem excellentissimum mathematicum, politicum, polyhystorem, summumque virum, fuisse, omnes confitentur? Ego quidem de philosophia Leibnitiana nihil acutius dici posse arbitror, quam quod nuper maximus auctor iudicauit, qui LEIBNITIVM multa ingeniosa potius, quam matura, acuendi aliorum studii causa, interdum publicasse, censet, et problematibus metaphysicis, tanquam esca, philosophos inuitasse, quod institutum aliter, ac voluisse videatur, ceciderit.* Ecquid igitur est, quod in me reprehendit SCHVMANNVS? Vnicè ad meam, aliamque ab ipso tentatam, docendi methodum pertinet. Noua enim me principia posuisse, putat, in quae illustre hoc nomen nondum conueniat. Aliam igitur monstrare viam adgressus est, quam expeditiorem putat. Caeterum id agit, vt principium rationis sufficientis, quod postremum conficit, et prorsus iisdem, quos posui, limitibus

* *Histoire de l'Acad. Royale des Sciences et de belles lettres de Berlin, année 1748. p. 413.*

mitibus circumfcribit', Leibnitianorum sermone paullo conuenientius efferat, persuadentque lectoribus, sic non abiici principium Leibnitianum, sed seruari, quanquam paululum immutatam.

Ad haec igitur primum generatim et vniuersae quaedam notabo.

1) In tractatu meo *de limitibus principii rationis determinantis* * nequaquam constituiere, aut inuenire, volui cognitionis humanae principia; Talibus enim opus non est. Tantummodo planum facere volui, antiqua illa rationis axiomata, ab omnibus aut distincte cognita, aut sensu certe percepta et adhibita, omnino sufficere; contra ea Leibnitiano principio imponi bonis hominibus, dum nouam veritatem reperire sibi videntur, sed non sentiunt, implicite ipsis eripi, quae firmiter tenenda esse, recte credunt.

2) Ibidem decem recensui propositiones, quae in principio Leibnitiano, vbi dicitur, et quasi membratim discerpitur, continentur. Veruntamen hoc eo consilio factum non est, vt totidem peculiariora, aut noua etiam, principia suppeditarem, quae loco illius vnus, tanquam cognitionis humanae fastigium, tenerentur. Sed opus erat diligenti enumeratione eorum, quae in Leibnitiano

* Exstat reuifus et auctus in *opusculis philosophico theologicis* p. 152. etc.

nitiano principio sub vno genere coagmentata, compacta et commixta sunt, nempe vt quisque facilius perspiceret, qua de re agatur. Notae enim sunt indignae et inhumanae cauillationes aduersariorum, quibus imperitis persuadere conantur, ac si vitam humanam tollerent, omniumque scientiarum fundamenta suffoderent, quicumque cum ipsis *fatalis* esse nolunt. Quid enim, vt hoc vtar, iniquius fingi potest, quam quod ill. WOLFIUS aduersarios, tanquam mundum fabulosum introducentes, * traducat, aut REINBECKIUS cum mente captis includendos esse autumet, ** qui suo principio ad stipulari nolunt. Huic igitur contumeliae, et conuiciandi licentiae, non melius occurri posse, sentiebam, quam accuratissime explanando, qua de re agatur. Plerique enim verborum lenitate irretiuntur, vereque de ratione sufficiente agi, existimant. Sic ipse etiam SAMVEL CLARCKIUS, quemadmodum ipse notauit, *** et pariter intellexit cl. SCHVMANNVS, calliditatem LEIBNITII non suspicatus fuerat, ipsique dederat, nihil quid-

* Ged. von Gott, der Welt und der Seele, §. 30. 142. *Ontolog. lat.* §. 77. 321. vid. CL. SCHVMANNI *Tractat.* p. 33.

** Betrachtungen über die in der Augspurg. Confess. enthaltene göttl. Wahrheiten I Th. I Betr. §. 13. p. 12.

*** *Tractat. cit.* §. 2.

quidquam fieri sine ratione sufficiente. Sed machinationes viri non intellexerat, qui sub vocabulo extra controuersiam posito ornare fatum, et necessitatem consecutionis omnium rerum, seu, quod idem est, perpetuam catenam rationum determinantium inducere statuerat.

3) Summum omnis cognitionis humanae principium a falsitate incogitabilium repeti, id quod tamen, ne perperam caperetur, mox vltterius et operose in scriptis meis explanavi. Atque ea in re iterum nihil quidquam innouaui. Quotusquisque enim est, qui non in repellendis erroribus tandem prouocet ad ea, quae natura cogitare adigit et cogit, falsa e contrario iudicet, quae omnem respuunt cogitationem, quaeque omnium mens et intelligentia aspernatur? Nihil refert, vtrum philosophi diserte hoc principium tanquam summum allegent, an non. Certe sentiunt et praesupponunt. Differendi vero ordo, a dicentium consiliis pendens, parum ad rem attinet, quemadmodum in definiendo etiam aliqui, meditationis imbecillitate, definitionem aut latam nimis, aut nimis angustam, faciunt, quamquam definito alios, ac reliqui docti, limites neutiquam praefigant. Sufficiet instar omnium allegasse illustr. WOLFIVM, qui post caput praeliminare *ontologiam* suam his verbis incipit: * Indem wir erkennen, daß wir uns

B 2

unser

* Ged. von Gott, der Welt und der Seele. S. 10.

unserer und anderer Dinge bewust sind, und nehmen es vor gewiß an, so geschiehet solches in der That deswegen, weil wir uns unmöglich gedenken können, daß wir uns zugleich unserer selbst bewust seyn, und auch nicht bewust seyn. Eben so finden wir in allen übrigen Fällen, es sey uns unmöglich zu gedenken, daß etwas nicht sey, indem es ist. Und solchergestalt räumen wir überhaupt ohne einiges Bedenken diesen allgemeinen Satz ein: Es kann etwas nicht zugleich seyn und auch nicht seyn. Diesen Satz nennen wir den Grund des Widerspruchs, und von ihm haben nicht allein die Schlüsse ihre Gewißheit, sondern auch durch ihn wird ein Satz, den wir erfahren, auffer allem Zweifel gesetzt. Hoc igitur loco, quid apertius esse potest, quam sensibile ill. WOLFIVM, certitudinem principii repugnantiae exinde pendere, quod repugnantis nulla prorsus cogitatio est, tum, quod falsa sint, quae omnem cogitationem respuunt. Igitur dum praeter repugnantia etiam reliqua incogitabilium genera, et quidem accurata cum limitatione, extricavi, non noua principia commentus sum, neque, quantum ad commune omnis cognitionis principium pertinet, dissentio cum Ill. WOLFIO, sed vias ab illo aut parum tactas, aut praetermissas etiam, sed a communi principio ducendas, pariter inuestigo et munio.

Ignosce

Ignosce, HARDENBERGI, excursioni. *Excursus*
 Non enim sine iusta querela hic locus trans-^{de abusu}
 mittendus est. *Principio repugnantiae* omnes ^{principii}
 iam ludere solent, atque inuidiose hoc cre-^{repugnantiae.}
 pant, etiam qui in plurimarum, quae sciri
 debebant, rerum magna ignoratione versan-
 tur. Nempe facillimum est hoc principium,
 ideoque tardis etiam ingeniis accommodatum,
 fere, ut minoris formae litteras non legunt
 nisi oculi acute cernentes, magnas vero et
 crassas imbecilli quoque et hebetes. Praeter-
 ea repugnantiae principium videtur non mo-
 do irrefragabilem, sed independentem etiam,
 certitudinem parere. Gignit tamen eam non
 nisi *hypothetice*, nempe quatenus iam hae vel
 illae notiones praesupponuntur, quibus ap-
 plices deinceps dictum principium. Quare
 in mathesi pura hoc solo principio omnis res
 conficitur. Ibi enim circa notiones nihil
 quidquam vel requiritur vel spectatur, praeter-
 quam vnum hoc, ut notiones a repugnan-
 tia liberae sint. Nouimus vero, mathesin
 iam a quibusdam cum reliqua philosophia
 permisceri, et mathematicam rationem phi-
 losophiae obrudi coepisse. Memini, me le-
 gere, primum, qui hoc fecit, SPINOZAM
 fuisse, * quod, quanquam fraudi reliquis esse
 non debet, semper tamen inconsultum est,
 et subactum ingenium dedecet. Inde fit, ut

B 3 alique,

* In den Nachrichten von einer Hallsischen Bi-
 bliothek.

aliqui, solo principio repugnantiae insistendo, omnem philosophiam certam fieri, putent, aequarique mathesi, quae de rerum suarum certitudine praecipue gloriatur. Sed de certitudine mathesis bene habet gloriari. Occupatur enim circa veritates necessarias, veruntamen hypothetice eas tantum spectatas. Caeterum de rebus, quae vere sunt, vel fiunt, per mathesin nihil innotescit, nisi tunc demum, quando reliqua principia adsciscuntur. Sensit hoc Ill. WOLFIUS, sine principio, quod de causis agit, itemque sine experientia, in disciplinis philosophicis nihil profici posse. Quoniam tamen sibi persuaserat, ex repugnantiae principio omnem omnino certitudinem repetendam esse: animum adiecit ad principium rationis sufficientis ex repugnantiae principio eliciendum, nec non ad deducendam ex hoc porro sensum certitudinem et discrepantiam somnii atque sensationis. Institutum hoc, uti necesse erat, successu caruisse, alibi demonstravi, ipseque Cl. SCHVMMANNVS fatetur. Praeterea ne sic quidem res expedita foret, etiamsi Ill. WOLFIUS sensationum et principii rationis sufficientis euidenciam ex repugnantiae principio prorsus demonstrare potuisset. Sunt enim alia quoque naturae axiomata, quae nihilo secius praetermitterentur. Quo factum est, ut multa hucusque perperam explicata, multa per saltum et insufficienter probata sint. Exempla desideras? Recordare, quaeso, demonstra-

*Quomodo
existierint
singularia
recentioris
philosophiae.*

monstrationem Wolfianam de *contingentia mundi*, et expende, annon *contingentiam elementorum et animarum* per saltum collegerit. Abstracta vero *existentiae* nempe *tò ubi et quando*, quam inique sunt habita? *Existenzia* ipsa et *possibilitas*, quam insufficienter sunt expositae? Praeterea neglecta *subiecti et subsistentiae* legitima notione, nec non, colligendo ex male structo principio rationis sufficientis, quam multa in doctrina de *essentia, viribus, actione, substantiis* aliisque rebus, turbata et peruersa sunt? Similiter in logica res aliter cadere non potuit, quam vt complura vtilia et necessaria omitterentur, nec quidquam explicaretur, nisi quod cum insufficientibus principiis consistere posset, ita vt ipsius etiam *experientiae* accurata et congruens notio nec data sit, nec vindicata. Latius serpere malum oportuit, et ad practicam etiam philosophiam manare. Quare *imputationis et obligationis* vis non tam perperam exposita, quam fere sublata, et *genesis actionum* cum obligatione confusa est, vt reliqua taceam. Attamen ad intelligendum, quam parte peccatum fuerit, complures tardi sunt facti. Delectantur enim, vt aiunt, demonstrationum catena, quae, etsi non interrupta esset, quod sane frequenter accidit, quoniam tamen tam multa vtilia omissa sunt, argueret profecto, principia, quantumuis vera, non tamen adaequata, posita esse. Sed talia multi non animaduertunt, quidam etiam

prorsus animaduertere nolle videntur, ne cogantur

Quae iuuenes didicere, senes perdenda fateri.

Sic igitur nata est celebrata illa *recentior philosophia*, vere quidem noua illa, et nequaquam consentiens cum intelligentia communi, hinc a multis rursus deserta, et magis posthac deserenda. Annon igitur, HARDENBERGI, quum animum adiunxissem ad praecipendum de *summis*, quae praebet natura, *veritatis criteriis*, cogitandum mihi omnino fuit, quomodo facili methodo eruenda, et in commodum ordinem redigenda sint etiam *reliqua naturae axiomata*, quae ex principio repugnantiae separatim sumto elici non possunt, sed cum illo ipso sub communi principio *falsitatis incogitabilem*, recte intellecto, comprehenduntur? Odi enim, quicquid a natura sensuque communi recedit, et in veritate indaganda ita versari satago, vt magis animum attendam ad ea, quae natura docet, quam quae philosophi dixerunt, quamquam etiam horum scriptis vtor, forsân diligentius aliquanto, quam multi dissentientes. Continuato igitur per plures annos hoc studio intelligere coepi, quomodo dictata naturae inter se cohaereant, eaque pro ingenii modulo summa cautione in systema sensim collegi. Discerno sollicitè, quae explorata sunt, quae verisimilia, quae dubia, et certiozem lucem requirunt. Ingenue autem confirmo TIBI, esse

estne enim arrogantia, verum fateri? me nihil moueri his, quae pro stabilienda philosophia Leibnitiana huc vsque dicta sunt, sed, naturam ducem sequendo, reperire statim, vbi fallantur, qui sectae seruiunt.

4.) Non quidem opus est, omnia *naturae axiomata* in perpaucas propositiones colligi, et ad breues formulas redigi. Satis habemus, dummodo quaelibet propositio, quae in colligendo vtimur, sufficienter confirmata sit. Si tamen commode complectenda sunt, non video, quid aliud inde nasci possit, quam *tria illa principia* quae a me non inuenta, sed repetita, sunt, *principium nempe repugnantiae*, deinde, *quae non separari possunt cogitatione, re ipsa non separata esse*, denique *quae non coniungi possunt cogitatione, etiam vere coniuncta non esse*, quae quomodo applicari debeant, et possint, in logica copiose docui.* Quaecunque enim cogitationem respuunt, illa vel *repugnantia* sunt, vel, quanquam repugnantia non possit ostendi, certe *sensu interno sunt incogitabilia*, id est, quoniam de relatione subiecti et praedicati in aliqua propositione loquimur, ponuntur tamquam seiuncta, quae *cogitatione sunt inseparabilia*, vel tamquam copulata sumuntur, quae *cogitatione sunt in-*

B 5 coniun-

* Vid. Weg zur Gewisheit und Zuverlässigkeit der menschl. Erkenntn. I. Th. Cap. VII. VIII. IX. II Th. Cap. VI. S. 540-550.

coniungibilia. Quare etiam iis, qui nomen cupiunt, nempe temporis nostri more, commendavi, alterutrum vocare *principium inseparabilem*, alterum *principium inconiungibilem*, quamquam ipse nominibus parum delecter.

5. *Difficultates naturae inevitabiles circa summa rationis principia.*

5) Iam vero difficultas aliqua nascitur, quam profecto nemo vitabit. Prorsus enim necessitate naturae progignitur. Videlicet intellectus noster non est, nisi *ἐκτὸς*, et limitatus. In solo Deo est intelligentia *ἐξ ἐξέτρουτος*, independens, illimitata. Hinc duo sequuntur. *Primum*, quia Deo acceptam referimus nostram intelligendi vim, sequitur, ut in naturam intellectus humani, eiusque essentialibus agendi legibus, expressa sint veri criteria. Non enim existimandus est Deus, noluisse veritatem nobiscum communicare. Videtur igitur, ad quae cogitanda, atque sic, non aliter, cogitanda, auctor mundi per naturam nobis ingentiam cogit et determinat, in his ubique et aequaliter verum inesse oportere. Sed iam *alterum* sequitur. Scilicet, quia limitati sumus; incogitabilitas falsi criterium esse nequit, ubi limitationis consequentia est. Ex quo manifestum est, eam cogitandi siue necessitatem, siue impossibilitatem, quae principio repugnantiae non continetur, specialiori indigere explicatione, certisque restrictionibus, et ulterioribus criteriis, quibus cognoscatur, quid positivae intellectus essentiae tribuendum sit, quid non. Vbicunque enim certum est, aliquid

aliquid a Deo per intellectus nostri conformationem doceri, ibi certum quoque est, illud verum esse. Quin etiam aequè certum est cum repugnantiae principio, et eadem ex causa. Repugnantiae vero principium, quoniam per se sterile est, et propositio identica, ne quidem aliter gignere potest conclusiones reales, nisi quando applicatur ad eiusmodi notiones, quas reale quid depingere, et consequenter ab ipsa natura ita efficitas et determinatas esse, iam constat. Errant igitur, qui cognitionem independentem adferant, immemores intelligentiae suae *ἐπιτύχη*, nec acquiescere volunt in certitudine a veracitate Dei deriuata, non secus ac si ipsimet dñi essent. Implicantur autem, saltem inscienter, hoc vitio omnes illi, qui omnem certitudinem ex solo repugnantiae principio, eoque veluti independentem ab intellectu Dei spectato, repetere gestiunt, nempe ob id, quod iam primo loco collegimus. Sed non minus errant, scilicet ob ea, quae secundo loco conclusimus, qui eiusmodi principia cognitionis humanae summa enumerari volunt, quibus simpliciter omnis nostra cognitio contineatur, quae tamen paucis verbis exprimi possint, nec speciali explicatione et restrictione opus habeant. Sic enim pariter contra naturam pugnant. Certus sum, talia non dari, sed, qui comminisci volunt, semper allaturos esse, aut non satis *adaequata*, et omni cognitionis generi accommodata, aut
non

non vera, aut non euidenter confirmata, sed arrepta tantum et sumpta, aut denique non *characteristica* et iudicandis exemplis tuto et vbique accommodata.

Quid igitur offendere poterit SCHV-MAN-NVM.

Iam aliquo modo planum fecisse mihi videor, PERILLVSTRIS HARDENBERGI, quid abduxerit optimum SCHVMANNVM, eique difficultates obiecerit. Taxat enim principia mea, secundum nempe et tertium, quia cautiones et restrictiones subiunctae sunt, id quod methodi causa feceram, partim nimis verbosae et molestae euaderent propositiones, partim, quia eadem restrictiones vtrique principio communes sunt, ideoque sic repetitione supersedere poteram. Vix capio, qui hoc consilium latere potuerit Cl. SCHVMANNVM, quod per se satis apertum et perspicuum est. Persuasit igitur sibi, me ipsum fateri, principia, quae ponam, non vniuerse vera esse, ideoque de corrigendis iis, auertendoque errandi periculo, posthac sollicitum esse. Miror, virum doctum tempus mihi concedere noluisse, donec tractationem meam absoluerem, sed arripere partem eorum, quae dixi, eaque pro erroribus putare, quoniam vera esse non possunt, nisi iis conditionibus, quas ipse exposui, et sine quibus acceptanda non esse, diserte dixi. Quem igitur hoc modo accusare non poterit, quotiescunque nempe propositiones multifariam restrictae, sensimque dilucidandae, occurrunt, id quod frequenter vsu venit, veluti

veluti in iure naturae? Sin igitur cl. SCHV-
MANNVS malebat omnia vna propositio-
ne complecti, nec offendebatur verborum
molestia, quam alii fastidiunt, quidni cautio-
nes, a me separatim demonstratas, generali pro-
positioni statim addidit, et vna enuntiatione
complexus est? Non enim suspicor, eum pu-
tare, ac si propositio restricta non possit esse
vniuersalis, ideoque principii locum tenere,
id quod logicae nimis inimicum foret. Ad-
dita enim restrictio, si subiectum arctius li-
mitat, nihil impedit, quo minus praedicatum
de subiecto, hoc modo constituto, vniuer-
saliter praedicetur. Estne igitur, quod hac in
re peccauerim, nisi hoc fortasse sit, quod
non e vestigio indicauerim, explicationem
vltiorem sequentibus §§ securam? Fate-
bor igitur, me bonae causae fiducia nimis
securum, ipsosque lectores contextum iudi-
caturos, consilium fuisse. TE antestor,
HARDENBERGI, TVOQUE crediturum te-
stimonio SCHVMANNVM, spero, me nihil
hic tergiversari, sed in praelectionibus etiam
meis hac, quam nunc monstraui, via et ex-
plicatione uti. Est tamen alia suspicio, quid
mouerit cl. SCHVMANNVM, vt in re, aliun-
de iam inuisa, mentem meam hoc loco ini-
quius interpretaretur. Theoriam meam,
credo, nimis impeditam ipsi visam fuisse.
Quod non diffiteor. Est illa nequaquam
tam breuis et facilis, quam Wolfiana, re-
spondeo tamen, sic vniuersam esse. Quic-
quid

quid hic culpae repererit, naturae erit, non meum. Est forsân aliquis, qui me quidem pressius et elegantius has res exponat. Rebus ipsis, quas attuli, eum non carere posse, *Peruersum quorumdam facilitatis studium.* securus confido. Non sane planior fit cognitio humana principiis breuibus et captu facilibus, sed quae adaequata non sunt, et multum falsi admixtum habent. Non expeditior philosophiae via paratur, omittendo multa, eaque magnum pondus habentia. Sunt quidem hi peruersi nostrorum hominum mores, vt philosophari velint, sed paucis. Putasne autem, rem bene gerere eos, qui ad haec vitia se componunt, et, postquam manca quaedam et mutila, quin etiam magnam partem falsa, propinarunt, homines fastu implent, ac si veram philosophiam nunc animo imbibissent. Si quis autem ita contraheret arithmeticam, astronomiam, botanicam aliasque eruditionis partes: ferrentne illum prudentes? At in hoc genere rectius plerique vident, quam in philosophia, logica praefertim et metaphysica. Hic enim doctrinae *ἀνεπιβίβω*, tanquam molesta vincula, refugiunt, libereque vagari imaginatione, et ingenio sermoneque discurrere, malunt, cum primis si praeterea lepide et ornate dicere possint, laudenturque eam ob rem et populo probentur. Quotusquisque autem tam parcus est sui amator, quin logica sua, quam vocant, naturali se abunde consequi posse putet, ad quod tristes philosophi tenendis regulis

gulis tendunt, et inuisa meditationis subtilitate? Sed haec in transitu dixi. Nihil enim attinent ad SHVMANNVM nostrum, cui, aliter, vt puto, adsueto, ex rei, quam tractamus, difficultate duntaxat occasio nata videtur, comminiscendi argumenta quaedam mihi contraria, nouamque extricandae controuersiae viam tentandi, quae, qualia sint, deinceps videbimus.

Ante omnia autem sequentia merentur *Animad-*
obseruari. *Primo*, principium Leibnitianum, *uerfiones*
 quod seruare videri voluit, vere non retinet, *generales*
 neque magis, quam ego. Quod autem re- *in viam et*
 tineri vult, sed mutatum, eo studio non *rationem*
 SHV-
 magnam a Leibnitianis gratiam inibit. Illi MANNI.
 enim nihil quidquam in eo mutari permittunt, *Non magis*
 et ill. WOLFIVS duriter super hac re pro- *seruat!*
 nuntiare solet. Mutatis vero mutandis, ego *principium*
 quidem *Leibnitia-*
num.
principium aliquod rationis sufficientis
et determinantis, seruato etiam vtriusque no-
 mine, pariter retinui, aut potius commu-
 nem et vsu frequentatam eius notionem vin-
 dicaui et restitui, vid. *tractatus de lim. prin-*
cip. rat. determ. §. XX, XXVI. XLIV, Me-
taphysica §. XXXI. LXXXIV. Logica
§. CCXC, CCXCI. Deinde principium ra- *Principium*
 tionis cognoscendi sufficientis ego quidem sepa- *ponit am-*
 ratim proponendum censui *biguum,*
Log. §. CCLXXV.
conf. tract. de limit. princ. rat. determ. §. XXIX.
 XXX. Cl. SCHVMANNVS vero, quo-
 niam rationes cognoscendi vna cum *rationi-*
bus essendi seu *fiendi* vna regula complexi
 maluit,

maluit, denuo periculosam illam ambiguitatem introducit, de qua in tractatu meo conquestus sum, eiusque fundamenta exposui §. XVI - XVIII. exempla etiam notatu digna attuli §. XL. Dixerim fere, eum augere quoque ambiguitatem, quia, dilatato rationis conceptu, etiam *principia cognoscendi a posteriori* sub suo principio complecti voluit, quae sub Leibnitiano non comprehenduntur. *Tertio* regula eius sic effecta et constituta, aliter probari non potest, quam per partes eundo, singulaque, quae sub ea coagmentantur, sigillatim probando. Probatio ipsa vero non aliter fieri potest, quam ex principiis a me suppeditatis. Quibus quoniam uti cl. SCHV MANNVS noluit, saltus admisit in concludendo, quos posthuc dinumerabo. Quamobrem quum conclusiones speciales nunquam fiant ex principio rationis sufficientis tam late et ambigue instructo; sed ad concludendum semper sufficiant pressius illa a me determinata principia, quin etiam ex his plane concludi debeat, quoniam ambiguitas principii latioris aliter vitari non potest: aperte sane constat, in regula cl. SCHV MANNI plane non inesse naturam principii *vnivrsi, tutoque applicabilis*, sed esse eam sua natura non *principium*, sed merum *confectarium*, idque per inductionem specierum probandum, et, ne perperam accipiat, sollicite explicandum. *Quarto* denique mirum est, cl. *Patrocina-* SCHV MANNVM fateri, principium Leibnitianum

quodque
natura
confectarium
est, non
principium.

tianum *tollere libertatem humanam*, et tamen *ur imita-*
 cum LEIBNITIO loqui, quam cum recte *tione ser-*
 ficientibus, malle. Potestne autem maius *monis.*
 esse differentium vitium, quam libertatem
 voluntatis tollere, cunctaque fato et ineni-
 tabili consecutionis necessitate deuincire? Po-
 testne religio, tum naturalis, tum Christiana,
 potestne vita honesta, et omnis philosophia
 practica, potestne sana psychologia, item
 metaphysica, libertate voluntatis spirituum
 ratione vtentium carere? Et annon, sublata
 libertate, satisque intellecto, quid hoc sibi
 velit, et qua de re agatur, nobilissimas illas
 doctrinas exspirare, necesse est? Equidem
 hoc, vt supra iam monui, contra errorem in
 abstracto spectatum, non contra homines, di-
 co. Attamen omnino expendendum est,
 quantopere laudes philosophiae Leibnitianae
 summis veritatibus fraudi esse soleant. Nam
 qui ex illa nouum theologiae et philosophiae
 lucem inferre sibi videntur, cateruatim ac-
 cingunt se ad veritates summas acrius, vt
 aiunt, et rigidius demonstrandas, attamen
 principiis vtuntur precariis, crebrisque in
 colligendo saltibus. Annon igitur, com-
 mendando ista principia, et leniter mulcen-
 do, vt in illis non multum erratum esse vi-
 deatur, efficitur, vt obtrectatores veritatis
 nihil solidius dici posse autument, quam quod
 secundum auctores illos dicitur, quaeque male
 ab his demonstrata sunt, melius demon-
 strari non posse, certe omnem cognitionem

C

huma-

humanam postremum in orbem vitiosum recurrere, nihilque certi habere, arbitrentur? Potestne negari, vix vlllo tempore scepticismi luem tam late grassatam esse, quam ex quo nostra memoria magno numero exstiterunt, qui mathematicam rationem ad theologiam et philosophiam transferre studuerunt, et, sic demum certum se reperisse, gloriati sunt? Contigit autem hoc propterea, quod, quorum res agitur in defendenda aliqua philosophorum secta, mordicus quidem tenent sua principia, eamque ob rem pariter, quaecunque alioquin statui debere censent, ex his deducere conantur. Sed longe aliter adfecti sunt, qui disputantium philosophorum non nisi auditores et spectatores adfident. Hi enim secundum intelligentiam communem iudicant, nec mouentur methodis, et adfectata subtilitate. Quid igitur iudicabunt hi, si de rebus controuersis nihil, quod sensui interno satisfaciatur, effici possentiant secundum hanc philosophiam, in qua sola auctoritatem esse, quam solam nominari, audiunt, quo fit, vt rectius dicta necurent quidem? Quid igitur est, quod doctissimus vir, etiamsi non sentiat cum Leibnitianis, illorum tamen verba, etiam ipsis inuitis, seruare, et nouum excogitare syncretismum decreuerat? Estne, cur tyrannidem horum hominum metuamus, nisi cum illis loquamur? Certe non. Sunt enim aequi ciues, nec quidquam prohibentes philosophandi liber-

libertatem, atque, vt decet doctos claros-
que viros, quam ipsi sibi sumunt, aliis pari-
ter concedentes potestatem. Caeterum in
hac philosophiae parte ab *ἀριστέως* docendi
profecto commendari non possunt, cuius rei
specimina aliquot supra commemoravi. Con-
firmare enim, quae contra eos dixi, huius
loci non est, quoque id modo faciam, intel-
ligent ex libris meis philosophicis, qui euol-
uere operae pretium duxerint. Miror igitur,
nec video, cur cl. SCHUMANNVS formu-
lam maluerit, quae cum erroribus conci-
nere, quam, quae ab illis praecauere vi-
deatur.

Iam specialius lustremus scriptum Schu-
mannianum, cuius summa ad quatuor mo-
menta reuocari potest. Praeliminaria quae-
dam praemittit de scribendi consilio et ratio-
nibus. Deinde rationem reddit, cur mecum
teneat, *principium Leibnitianum*, nunc vul-
go dictum *rationis sufficientis*, sed rectius
rationis determinantis, tollere libertatem hu-
manam, demonstratum autem nunquam esse,
nec demonstrari posse. Postea copiose, con-
tra methodum meam summa rationis hu-
manae principia exquirendi disputat, vnica
etiam paragrapho principia Ill. DARIESI
expendit. Denique nouam viam tentat,
principium Leibnitianum limitandi, et, sano
sensu intellectum, tanquam vniuersale et in-
dubitatum veri criterium defendendi. Per
se liquet, in praesentia mihi duntaxat exa-
minanda

minanda esse, quae tertio et quarto loco nominata sunt, et illa quidem, quantum ad me pertinent. Illustris enim DARIÆSIUS causam suam, si ipsi visum fuerit, ipse perorabit.

*Num con-
certationes
de princip.
rat. suff.
sint indi-
gnae, aut
certitudini
scientia-
rum inimi-
cac.*

Sunt tamen ante omnia in prologo obseruanda quaedam, quae sine nota praetermitti non debent. Primum nimis acerba est querela cl. auctoris §. I. vbi sic scribit: *cum spes iam esse debeat, philosophiam non procul a fastigio suo consistere, quod summum vnquam inter mortales consequi potest: illaetabilem profecto faciem praebent ea, quae inter eruditos de primorum principiorum veritate adhuc intercedunt continua fere certamina. - - Habet vnaquaeque ars, et philosophia inprimis, praecepta quaedam primi ordinis, quibus, tanquam fundamentis, reliqua superstruuntur aemnia. Illa ergo nisi extra dubitationem constituta sunt, totum deinde systema aedificio simile est, quod vnico ictu, si velis, prosternitur. Quos motus quasue disceptationes rationis sufficientis principium, a viris Ill. LEIBNITIO et WOLFIO instauratum, olim excitauerit, nemo est, qui ignoret. Sepulta tamen illa dissidia credebantur ex aliquo tempore, et eruditi orbis pars potior comiter hoc principium videbatur amplecti. Sed resuscitata ea videmus non ita pridem etc. Ad haec sequentia obseruo.*

*Non mi-
randa est*

x) Non mirum est philosophos non sentire de omnibus principiis. Impedit hoc partim

partim imbecillitas humana, partim etiam, *doctorum*
 et praecipue, quod in formandis iudiciis vo- *circa prin-*
 luntati quoque et affectibus suae partes sunt. *cipia dis-*
 Nisi in principiis dissensio esset, lites inter *sensio.*
 viros doctos mox omnes componerentur.
 Solent enim acuti homines sententias suas
 ad principia reuocare. Potius in plerisque
 constituendis principiis lapsus facilior est,
 quam alibi. Requirit enim multiplicis,
 diuque continuatae, abstractionis subtilitatem,
 quaeque fieri non potest, nisi permultas res
 animo vna complectamur, effectasque notio-
 nes generales cum rebus a posteriori cognitis,
 tamquam Lydio lapide, diligenter etiam atque
 etiam comparemus. Etenim primum in
 cognitione humana non sunt principia illa a
 priori, de quibus in philosophia solliciti fu-
 mus, sed principia cognoscendi a posteriori,
 ensiones nempe, tum externae, tum internae,
 et hae potissimum, omnisque cognitio histo-
 rica. Ab his demum abstractione et medita-
 tione ad principia illa cognitionis, quae a
 priori est, ascendimus. Quae quidem an-
 non a via facillime diuertit? praesertim vbi
 intricata res est; vbi certo cogitandi generi,
 quanquam non optimo illi, certe non vnico,
 nec iniectae quaestioni accommodato, iam ad-
 suesfacti sumus; tum vbi parum attendimus ad
 ea, quae sensus internus docet, varia misce-
 mus, aut non accurate discernimus; quibus
 omnibus se facile partium studium, molestiae
 ignaua detrectatio, ambitio, inuidia, amor,

Φιλανθία, profanitas etiam, passim, nobisque imprudentibus, immiscere solent. Quot, quaeſo, sunt, qui ad multa simul expendenda, aut satis adserunt industriae, aut dexteritatis satis? Neque etiam folius plebis eiusmodi sunt vitia, eorumque suspitione liberari possunt docti homines. Quis enim in omni eruditionis parte simul doctus, et aequè versatus est? Ergo qui clarissimus est in aliquo genere, dum ad alias doctrinae partes festinanter progreditur, turpiter se dare potest. Qui ad veritatem feliciter tendere cupit, illi non magis compescenda *Φιλανθία*, quam clarorum virorum veneratio moderanda est. Ad Logicam et Metaphysicam haec observatio in primis pertinet, quarum cognitione frequenter non modo leuiter tincti sunt, qui alibi summa eruditionis laude florent, sed quas complures inique etiam habent, et difficillimas has eruditionis partes aut contemnuat et deprimunt, aut extemporali sua ipsorum opera multo melius explanari posse, confident.

*Tali dissen-
su non ideo
omnia in-
certa sunt.*

2) Non ideo omnia sunt incerta, *totumque cognitionis humanae systema instar aedificii vnico ictu prosterni potest*, quanquam de quibusdam principiis dissensiones sint, et maneant. Atque hoc potissimum conuenit in eam, quae *de principio rationis determinantis* est, controuersiam, in qua vnice quaeritur, *num simpliciter omnes causae agentes semper et vbique ad non nisi vnicum agendi modum deter-*

determinatae sint. Hoc enim solum est po-
 rum Eridos, quanquam aliqui Leibnitiani
 imperitis persuadeant, aduersarios in eo esse,
 vt cognitionem et vitam humanam subuertant,
 cuius rusticitatis et impudentiae etiam non
 omnes participes sunt, sed tardi duntaxat,
 aut admodum contentiosi. Primo enim *Est, ubi*
 omnes philosophi in quibusdam consentiunt, *omnes con-*
 qualia sunt principium contradictionis, per- *sentiunt.*
 spicua experientia, siue interna siue externa,
 et complura naturae axiomata. Hinc dispu-
 tandi initium fieri, et vterius ordine procedi
 potest. Quin etiam, si de principiis, ex
 quibus a priori colligitur, alicubi maxima
 dissensio sit, conclusiones ipsae plerumque
 non incertae sunt, quoniam iam aliunde,
 nempe a posteriori, de earum veritate con-
 stat. Deinde philosophi noua quidem Syste- *Natura in*
 mata condunt, naturam tamen humanam, et *viam redu-*
 intelligentiam communem nec tollere possunt, *cit, nec*
 nec mutare. Hinc qui animum a studio par- *mutatur*
 tium reuocant, et probi atque industrii sunt, *systemati-*
 ex labyrintho in viam redeunt. Tertio per- *bus.*
 pendendum est, systema moralitatis postulare *Quisque*
 eiusmodi rerum dispositionem, vt quisque *suo studio*
 suis videat oculis, suaeque probitate et in- *suaque vir-*
 dustria sapiat, neque etiam in rebus ad sum- *tute sape-*
 mum scopum propius attinentibus sine animi ad *re debet.*
 Deum et virtutem compositione multum pro-
 gredi possit. Quamdiu igitur tales manent
 homines, quales nunc sunt, temere expe-
 ctaretur, vniuersos vbique consensuros esse.

Ne ipsa quidem eruditio malo mederi potest. Constat enim, eam cum religione et virtute non semper coniunctam esse. Solet quisque excogitare, quo suos mores excuset, et uti acutior quisque est, ita magis artificiosas tricas fabricat. Tale est hominum genus. At quis dixerit, aut nihil certum esse, aut omnium consensum expectandum? Annon certa manent, quae evidentibus veri criteriis sunt certa, tamen si certitudo a postulatis sensationis internae, et a studio probitateque meditantis, pendet? Quemadmodum qui recte vident, et obiectum distincte percipiunt, nihil mouentur oblocutionibus eorum, qui aut non attentis fuerunt, aut oculorum vitio ne videre quidem potuerunt; ita etiam de disciplinarum principiis non opus est hominum suffragia colligere, sed evidentibus standum est rationibus, quae plurium consensu firmantur quidem subiectiue, sed illo non simpliciter opus habent.

*Explorata
veritas nititur
criteriis veri,
non hominum
suffragiis.*

*Negato
principio
Leibnitiano,
corruunt
singularem
philosophiae
recentioris,*

Adde alium cl. SCHVMANNI locum, ubi, nimis liberalem fuisse, censeo. Postquam enim pag. 6. recensuit, quae a me aliisque in principio rat. suff. Leibnitiano reprehensa fuerint, quaeque ipse nequaquam improbat, pergit ita: *Si verum docent viri iam laudati, i, licet, actum est, de conclusionibus plurimis ex rationis sufficientis principio ductis, quatenus nempe ex hoc deriuantur, quas eximiam partem recentioris philosophiae, theologiae naturalis praesertim, efficere, inter*

inter omnes constat. Hic concedo quidem, philosophiam sic dictam recentiorem niti principio rat. determ. Leibnitiano, quin etiam, totam huic superstructam esse, contendo, quatenus singulare quiddam et proprium habet; quodque prae reliquis philosophantibus statuatur. Explodendos vero esse, censeo, qui, hoc principio retento, in reliquis, quae inde fluunt, eclectice versari volunt. Syncretistae sunt, non eclectici, neque principii sui vim accurate perspiciunt. Sed pariter con-^{sed nulla}tendo, remoueri posse hoc principium, sal-^{scientia}uis omnibus scientiis. Nam quae vera sunt, ^{detrimentum capit.}et a defensoribus ex dicto principio concluduntur, illo neutiquam opus habent. Ducuntur enim ex principio *sufficientis causae* et *contingentiae*, nec non ex illo *rationis determinantis* principio, quod angustius est, et a me repetitum. Videntur tantum ex principio Leibnitiano erui propterea, quod vera illa, semperque nota, principia simul in principio Leibnitiano continentur, ita tamen, ut simul falsa et intolerabilia admixta sint. Vellem imprimis, cl. SCHVMMANNVM non allegasse theologiam naturalem, ac si ad eam aliqua ex Leibnitiano principio utilitas peruenisset. Quid enim eius ope in hac praestitum est, quanquam turbata sint multa et debilitata? Effectum potius est hoc principio, ut multa frequenter infirmis rationibus et per saltum conclusa reperiamus, quippe ex principio precario, et insuper ambiguo. Praeterea,

ubi recte conclusio elici poterat ex aliquo eorum principiorum, quae pars sunt principii Leibnitiani, male agitur, quod in eorum locum Leibnitianum principium ipsum surrogatum fuit, multo tamen latius illud, quam ad efficiendas has conclusiones opus est? At enimvero utendum erat tali artificio, ut aliis in locis ex eodem principio speciose deduci possent, quae auctores perperam sibi persuaferant, quaeque imprudentibus non melius commendari poterant, quam allegato principio, ex quo toties summas doctrinas colligi viderant. Negato igitur principio Leibnitiano, philosophia non magis corrumpitur, quam logicae infestum est, negare, omnia animalia ratione esse praedita, aut philosophiae practicae, si negas, omnes actiones esse indifferentes. Nempe omnes hae propositiones latitudine peccant. Quid, quaeso, ad agnoscendam causam mundi sapientem, benignam, sanctam, et sic porro, *fato* opus est, et principio callide et speciose ita dilatato, ut complectatur non modo, quae quaeruntur, sed simul inferat etiam, quibus praecluduntur, quae pariter colligi debebant?

*Vindicatio
summorum
rationis
humanae
principio-
rum.
Quid pri-*

Venio nunc ad argumenta, quae cl. SCHVMMANNVS meae de *summis rationis principii* tractationi opposuit. Primum est, quod in principiiis meis immediatam euidenciam, nec non vniuersalitatem, desiderat, quam me ipsum allatis exceptionibus infringere

gere autumat, quo fit, vt non fatis tuta exi-
 flimet, neque ad plus, quam probabilitatem ^{mo re-}
 aliquam efficiendam, comparata. Atque hic ^{prebenda}
 est ille locus, quem supra iam tetigi, cum ^{SCHV-}
 edissererem, qua de re inter nos disputetur. ^{MAN-}
 Quare etiam quae iam dicta sunt, et vel sola ^{NVS.}
 sufficere possunt, non repetam, addam ta-
 men alia quaedam, quibus, quid fecellerit do-
 ctissimum virum, magis in apicem protraha-
 tur. Omnis nempe haec disputatio exinde
 nata est, quod animum meum cl. SCHV- ^{Quomodo}
 MANNVS non accurate perspexit, meam ^{in inter-}
 que tractationem non ab ea parte, qua ^{pretanda}
 decebat, et veluti ex incommodo visionis ^{sententia}
 puncto, intuitus est. Non huius dispu- ^{mea ballu-}
 tationis vel temporis est, transcribere, ^{cinatus sit.}
 quae in libris meis hac de re copio-
 se pertractata sunt. TIBI vero, PER-
 ILLUSTRIS HARDENBERGI, cognita et
 perspecta sunt haec omnia. Dabo saltem ope-
 ram, vt sententiam meam plenius peruideat
 etiam cl. SCHVMANNVS, cuius ingenu-
 um veritatis amorem ita veneror et magni fa-
 cio, vt mea permultum intersit, quid de me
 ille existimet. Primo quidem, quantum ad
 tractatum meum attinet de limit. princ. rat.
 determ. consilium meum aliter sibi imagina-
 tus est, ac vere fuit. Nimirum quia in
 principio Leibnitiano multa, quae separatim
 excuti debebant, comprehensa sunt; porro
 quaedam, quae vere illuc non spectant, con-
 sueta confusione eo trahuntur; denique
 etiam

etiam quaedam aperte falsa admixta sunt: instituebam, postquam principium Leibnitianum iam indirecte confutaueram, nec non vitia demonstrationum Wolfianarum notaueram, singula seorsim dinumerare, quae sub principio contineri soleant. Haec est vera ratio, cur nouem illas propositiones separatim exposuerim. Hinc quum ordo me ad principia cognoscendi etiam deduxisset; de summis cognitionis humanae principiis quaedam ex logica, aut, si mauis, metaphysica, transfumenda fuerunt. (Ad utramque enim disciplinam pertinent. Primariam eorum sedem in logica constituo. Sed ad metaphysicam etiam referenda sunt, quatenus exhibent criteria entis et non entis.) Neutiquam igitur, uti cl. SCHUMANNVS scripsit, nouem illas propositiones tanquam corollaria ex tribus meis principiis deducere volui, quod ne quidem fieri potest, nisi corollarii voce admodum abuti velimus. Nouem enim propositiones illas enumeraui, tanquam partes, quae sub principio Leibnitiano comprehendi soleant, non tanquam noua, multo minus tanquam immediate euidencia, principia. Nomina ipsis aliquoties imposui, eo duntaxat consilio, ut, quoniam nostri homines nouis principiorum nominibus passim delectantur, quin etiam superbiunt, intelligeretur, quomodo haec vel illa propositio vocari posset, si peculiari nomine insigniri debeat, et quot deinceps principia sub Leibnitiano illo contineantur,

neantur, quae, separatim expensa et confirmata, vsui sunt, sed quorum vltus coagmentatione illa Leibnaitiana infirmatur. Horum igitur ex numero quoniam etiam *principium rationis cognoscendū sufficientis erat*, in transitu, et lemmata quaedam allegando, de principiis summis cognitionis humanae dicere necesse habui. Quare quum cl. SCHVMANNVS doctrinae meae summam *ingenue* proponere voluit, non debebat tria illa summa principia, quae post propositionem quintam demum commemoravi, nempe ad deducendam propositionem sextam, primo loco ponere, et vniuersas nouem propositiones tanquam corollaria subiungere. Sin vero illa sola, et superstructam omnis certae cognitionis rationem et methodum, considerare animus erat, epitomen doctrinae meae ex logica petere debebat. Tunc vero recenseri et subiungi nouem illas propositiones ex tractatu de limit. princ. rat. determ. nihil attinebat, quoniam hae, vt dixi, longe alio consilio extractae et dinumeratae sunt. Mirari etiam licet, quomodo cl. SCHVMANNVS scribere potuerit pag. 44. se propositiones has nouem etiam *cum rationibus suis, sicubi quas adiectas viderit, fideliter retulisse*. Paucissima enim ex rationibus transcripsit, quod vix aliter cadere potuit, quoniam quarundam probatio, quae plerumque methodo synthetica praemissa est, aliquot paragraphos complet. Sed aegerrime omnium fero, quod, vbi ex §. XXVII. disert. meae

meae tria rationis principia a me commemorata refert, ad §. XXVIII. non item attenderit, quae tamen limitationem principii secundi et tertii continet, quoad nempe tunc institutum postulabat. Copiosius enim hanc rem in logica disputavi. Intelligebat sane, me sine his cautionibus principia accipi nolle. Quod peculiarem ea de re paragraphum feceram, illud commoditati legentium dari, quivis perspicit. Neque etiam transitionis formula offendere debebat philosophum, qui ad res attendere solet, cum praesertim, qui logicam et metaphysicam meam citat, ideoque legisse praesumitur. Quapropter si principia mea in compendio tradere libuit, cautio illa, cuius §. XXVIII. mentionem feci, principii ipsis inferenda, certe subiungenda, nec prorsus omittenda fuit. Hinc vero omnis illa difficultas nata est, quae SCHV MANNVM, re mecum consentientem, verbis et differendi methodo a me seiunxit. Cautiones enim, quas tanquam partem principii secundi et tertii considerari volui, tanquam instantias contra uniuersalitatem principiorum, quae sine his limitationibus mea non sunt, allegauit, et pro confessione lubricitatis sententiae meae interpretatus est. Sed tam tardus ingenio praesumi non debebam, vt pro principio constituerem propositionem particularem. Restrictam pono, iubente natura, sed sic uniuersalem. Est tamen hac de re supra iam fuisse dictum.

Quo-

Quoniam potissimum haec esse video cl. *Ratio red-*
 SCHVMMANNVM in nouem illis propositio- *ditur pro-*
 nibus, quibus, quid verum comprehendatur *positionum,*
 sub principio Leibnitiano, dinumerare stu- *in quas di-*
 dui, et hinc *evidentiam immediatam* princi- *uisi princi-*
 piorum meorum desiderare, euolue, quaeso, *pium Leib-*
nit.

OPTIME HARDENBERGI, *opuscula mea*
philosophico-theologica pag. 197. sq. Com-
 memorabo breuissime, quale ex consuetis
 nominibus cuique propositioni nomen com-
 petat. Dein ipse iudicabis. Non enim sin-
 gulae sunt, aut esse debent, principia *imme-*
diata euidencia, dummodo sint pars eorum,
 quae vulgo Leibnitiani sub suo rationis suffi-
 cientis principio complectuntur. Non haec
 mea culpa est, dum farraginem rerum in or-
 dinem redigere studeo, si res comprehensae
 varii generis sunt. *Propositione I. et II. exhi-*
 betur *principium sufficientis causae* * et *conting.*
gentiae. ** Lucent haec vere immediata eui- *De euiden-*
 dentia. Subsumuntur enim proxime ex supre- *ria princip.*
 mo falsitatis incogitabilium principio. Neque *suff. caus.*
 etiam obstat, quod ex principio secundo deduci *et conting.*
 fortasse putes. Nam cum reliquis sui simi-
 libus sub principium illud secundum tantum-
 modo

* Quicquid existere incipit, illud oritur ab alio
 ente, quod ad producendum hoc sufficientem
 habuit facultatem, et in actu constitutum, nec
 impeditam fuit.

** Cuius non-existentia cogitari potest, illud ali-
 quando non fuit.

modo colliguntur, quod in re ipsa nihil quidquam mutat. Hinc toties dixi, me procul abesse a credendo, noua esse illa principia, quae *inseparabilium et inconiungibilium* dixi. Euolue, quotquot volueris, philosophos. Omnes praeter principium repugnantiae, et quae exinde fluunt, certa naturae axiomata, tanquam immediate euidentia, sumunt. Quid vero est, quod immediate euidentia existimant, nisi quod percipiunt, rem aliter cogitari non posse? Ergo solummodo communem hanc talium axiomatum proprietatem, videlicet quod immediate percipitur incogitabilitas oppositi, obseruare debui. Quae tamen ipsa incogitabilitas, quoniam ab ea, quae per principium repugnantiae existit, distingui debuit, natum hinc est naturali ordine principium meum secundum et tertium, quo tamen nihil aliud efficitur, aut effici debet, quum vt duo axiomatum naturae genera in suas classes redigam, id quod sane ad methodi opportunitatem pertinet, quae duntaxat non ita expedita est, si quis communi more axioma naturae quodlibet per se notet, eiusque euidentiam ex incogitabilitate oppositi animaduertat. Aliam rationem, cur hae duae propositiones sigillatim indicari et notari debeant, ibidem in nota indicauit. Certissimus sum, quidquid audeant philosophi, neminem alia via veritatem principii *sufficientis causae et contingentiae* monstrare posse. Ludunt hic mirificis saltibus, et in orbem circum-

circumaguntur, qui naturam ducem non sequuntur, cuiusmodi quid etiam cl. SCHV M A N N O accidisse, mox ostendam.

*Propositio III. ** pag. 139. corollarium est *Criterion* ex principio contingentiae. Collige sic: *entis necessarii*, quicquid cogitari potest non extitisse, illud est contingens. Ergo quicquid non est contingens, illud non potest cogitari non extitisse (*per contrapos.*) Ergo, quoniam omne ens aut necessarium est, aut contingens, sequitur, ut quicquid cum ratione pro non contingenti, id est, pro vere necessario, accipi debet, illud, quamdiu secundum rationem sibi relictam duntaxat iudicandum est, eiusmodi quid esse oporteat, cuius essentia, dummodo semel existat, non permittat cogitare, quod aliquando non extiterit.

* *Nullum ens est necessarium, nisi cuius non-existentia cogitari non potest.* Addo, si de iis, quae necessario existunt, Deus praeterea aliquid nobis innotescere velit, illud per revelationem parefaciendum esse, veluti, quoniam est sacra trinitas, necessaria etiam est ob internam entis primi naturam, nobis nunc imperuestigabilem. Falluntur vero, qui contra hoc attributum Dei disputant propterea, quod fundamentum necessitatis secundum rationem non perspiciunt. Sed vulgare est multis, criteria tum possibilitatis, tum necessitatis, in humano intellectu posita, cum ipsa harum rerum natura, et fundamento extra intellectum, confundere.

rit. Veritas igitur contrapositae huius propositionis pendet a veritate principii contingentiae. Esse autem hoc verum et vnicum principium, secundum quod de iis, quae contingenter existunt, hinc quoque de eo, quod necessario existit, iudicari fas est, quamdiu nempe ductu solius rectae rationis iudicium est ferendum, illud praeter allegatam cogitandi necessitatem etiam vltterius confirmari potest, si animum simul attendimus ad regulas morales, siue ad principium rationis *moraliter sufficientis*. Temere nempe ageremus, et impie aduersus creatorem nostrum, quem necessario existere oportet, si necessitatem, quae ipsi competit, tribueremus etiam eiusmodi entibus, quibus secundum *criterium contingentiae*, menti nostrae ab ipso Deo inditum, existentia a Deo dependens tribui debuisset. Securus etiam hoc loco contendo, aliud necessariae existentiae criterium a nemine demonstrari posse.

De principio rat. determin.

*Propositio IV.** consecretarium est ex repugnantiae principio. Hic perperam credidit cl. SCHVMMANNVS, me ipsam regulam vocare *rationem existentialiter determinantem*, quod inepte dictum esset, sed regulam de ea agere tantummodo dixeram. Sequitur pag. 202. *Propos. V. principium rationis determinantis,*

* Nihil est, vel fieri potest, nisi quatenus rebus coexistentibus, quae simul ponuntur, non contradicit.

minantis, * quod theorema est, demonstratum etiam a me, cuius causa definitiones, quibus opus erat, praemissae fuerunt. Est autem natura sua theorema, nec immediate evidens esse potest. Principium vero dicitur ob latitudinem utilitatis in disciplinis. Ut enim aliquid principium dici possit, non opus est immediata evidentia, nisi quis verbo ludere velit. Singulis enim disciplinis sua principia sunt, peculiariora etiam, praeter communia omnium. Sufficit, si euidenter, nec in orbem demonstrando, confirmari possint, et late pateant, siue immediata sit evidentia, siue mediata.

Regula conuictionis, quae *propositione* VI. exhibetur, ** *eadem* est theorema, et ex parte postulatum experientiae. Remittit enim lectorem ad *summa rationis principia* *** *De regula conuictionis et reliquis propositionibus.*

D 2

antea

* *Quicquid non est actio prima libera, illud, si oritur, a causa quadam efficiente ita producit, ut, positis iisdem circumstantiis, aliter oriri, aut abesse, non potuerit.*

** *Intellectus humanus nihil iudicat verum, nisi ob nexum cum tribus istis summis principijs, clare vel obscure, perceptum, saltem imaginarium.*

*** *Principium summum §. 27. p. 203. est: quicquid non cogitari potest, illud falsum est, et e contrario, quicquid non cogitari potest tanquam falsum, illud verum est. - - - At tamen semper memores esse debemus, nos esse finitos, quapropter nostri verum diiudicandi conatus* ULTRA FINITATIS
RAM

antea vindicata, quae per se euidencia sunt, ita tamen, vt cautiones, circa adplicationem obseruandae, ex omnibus simul intelligantur, et eatenus demonstrari debeant. Quo autem facto ad confirmationem eorum nihil amplius requiritur, quam doctrina de *certitudine cognitionis humanae* contra scepticos, quam *logices* parte I. Cap. X. exposui, nempe ne cauillentur proterui homines, intellectum nostrum ab ipsa natura ad perpetuam fraudem compositum, certe perpetuo errandi periculo relictum esse. Sed haec huius loci non erat.

Ne-

RAM EXTENDENDI NON SVNT. —

Quare ex natura intellectus humani, secundum quam, tanquam falsa, reiciuntur, quae cogitari nequeunt, tria profluunt communia cognoscendae veritatis principia, quorum primum (principium contradictionis) est: nihil potest simul esse et non esse secundum idem. Secundum (principium inseparabilium) est: quae non separari possunt cogitatione, non separari possunt re ipsa, dummodo vtrumque sit posituum quiddam, etiamsi non oriatur contradictio. Tertium (principium inconiungibilium) est: quae non coniungi possunt cogitatione, non coniungi possunt re ipsa, etiam vbi non oritur contradictio. De cauta secundi et tertii applicatione §. 28. breuiter ponitur: in collisionis casu principium contradictionis duobus reliquis plenissima conuictione et certitudine anteferendum esse. Determinatius vero de eorum applicatione praecepi in Logica §. 263. 264. Epitome dictorum haec ferme erit, applicationem principii secundi et tertii imaginariam tantum-

Neque etiam scepticus negabit, ea, quae certa *videantur*, quaeque sequi oporteat, haec ipsa esse, quae secundum nostra principia conficiuntur. Seruaueram autem hanc regulam huc vsque, et serius attuleram propterea, quod in analysi principii Leibnitiani versabar, quod proprie ontologicum esse, et de rerum natura, qua tali, agere debebat. Quare quanquam de *principiis cognoscendi*, etsi non omnibus, multa admixta habet, de *principiis essendi seu fiendi* tamen primo loco dicendum esse, putabam. *Propositiones VII. VIII.*

D 3

IX.

tummodo esse, et a limitatione nostra, neutiquam a rerum natura, vel positiua intellectus conformatione, proficisci, si 1) oritur *colliso cum repugnantiae principio*, vel 2) *cum testimonio spiritus perfectioris et veracis*, vel 3) *cum obligatione iam confirmata* in rebus, quarum non nisi symboli- cam habemus cognitionem, denique 4) in mere subiectiuam probabilitatem commutari, *sicubi aequae possibile sit*, conformationem certarum notionum mere a limitatione vel *adsuefactione* nostra pendere, quo fit, vt principium secundum non applicari possit, nisi *utraque notio sit positiua*. Notatur etiam, alias collisiones non occurrere inter tria illa principia, nisi quae spectant *impenetrabilitatem substantiarum*, aut *ideales rerum diuisiones*, aut denique *possibiles additiones*, quas entibus limitatis adtingimus. Reliquae, quae putantur, collisiones ne sunt quidem tales, sed *incuria cogitantium*. Copiosius haec dilucidantur et exemplis illustrantur suo loco §. 543-551.

IX.* theoremata sunt, quae per lemmata, ex philosophia practica repetenda, confirmantur. Recenseri autem hoc loco ideo debuerunt, quoniam alioquin confusio rationis moraliter sufficientis cum rationibus fiendi, vel cognoscendi, explanari non poterat. Denique propositione X. explicite traditur id, quod in principio Leibnitiano falso sumitur.** Sequitur p. 228. limitatio principii Leibnitiani, quae theorema principale constituit, cuius causa integer tractatus scriptus fuerat. Constat illa*** proprie duabus propositionibus,

* Propof. VII. Nihil pro vero accipiendum est, nisi quod secundum summa veritatis criteria aut immediate evidens, aut legitimis ratiociniis probatum est. Vulgo ita efferunt: nihil accipe sine ratione sufficiente. Propof. VIII. Non, nisi rationi et legi congrue, siue prudenter et iuste, agendum est. Propof. IX. In nulla propositione, tamquam vera, acquiescendum est, nisi vel ob clare cognitam demonstrationem geometricam, vel ob demonstrationem disciplinalem, aut idonea argumenta via probabilitatis structa, et secundum cognitionem hanc ubique prudenter et iuste agendum est. Est hoc principium rationis sufficientis moralis, seu id, quod intelligi debet, quando dicitur, nihil agendum esse sine ratione sufficiente.

** Nempe quod simul affirmatur, omnem causam agentem ad agendum, nec non ad sic, et non aliter, agendum, prorsus determinari, ita, ut sub iisdem circumstantiis actionem non omittere, vel aliter dirigere, possit.

*** Cuiuscunque non-existentia cogitari potest, illud

bus, quae *rhetorice*, id est per compendium dicendi, non *logice*, in vnam compinguntur, quae duo compositionis genera quomodo inter se differant, exposui in *logica* §. 234. Animus enim erat, quoad possem, breuissime complecti, quid dicere oporteat eum, qui de *principiis fiendi* vna propositione ea complecti velit, quae ex comprehensis sub principio Leibnitiano vera sunt. Est igitur prima pars propositionis confectarium, ex *principio sufficientis causae et contingentiae* simul ductum, atque ita instructum, ut vtrumque vna innuerem; pars altera est ipsum *rationis determinantis principium*, quod propositione V. exhibitum fuerat.

Satis ergo expediuisse mihi videor, quae *Quatenus*, doctissimo SCHVMMANNO nebulam offude-^{quae alicubi fallunt,} runt, ex ea nempe parte, quatenus persuasit ^{saepius fallere, suspicari liceat.} sibi, ac si in disserendo, vbi *principium rationis humanae secundum et tertium* ab initio generatim indicaui, dein, addita vberiori determinatione et accurata restrictione, demum perfecti, mihi ipsi parum constarem, ipseque faterer, principia illa, quorum saepe ardua et difficilis applicatio est, incerta esse et fallacia. Obseruandum tamen insuper est, cl. SCHVMMANNVM praeter hoc, quod

D 4

ex

Iud oritur a causa sufficiente, et, nisi actio prima libera fuerit, ab ea ita oritur, ut, positis his circumstantiis, non oriri, aut aliter fieri, non potuerit.

ex meis modo dicta praecipitanter ad reprehendendum arripuit, etiam ratiocinia nectere, quae concedi nullo modo possunt. Sic pag. 47. *quae principia*, ait, *fallunt* SAEPE, *de his suspicio est, ea posse fallere* SAEPIVS, id quod de meis subsumit et concludit. Speciem veri praebet id assertum, tolleret tamen, si valeret, vniuersam hominum vitam et societatem. Potestne enim auctor fidere vspiam hominibus, quum fides humana crebro fallat? Dicam tamen, quod res est. Valet regula solummodo, *primum* vbi deceptionis causa et condiciones non constant, *tum*

An postea principia vspiam fallant.

An expeditior via detur.

vbi tutior, quam sequaris, via in promptu est. Neutrum conuenit in ea, de quibus quaeritur, principia, dummodo sine ea, quam imperaui, cautione ne accipiantur. Primo enim hoc pacto nusquam, vbi fallant, exemplum obuium est, Deinde etiam nostrae facultatis non est, aliam expeditiorem cognitionis viam reperire. Hanc enim, quam exposui, etiam qui verbis et disserendo conuellunt, reapse omnes sequuntur. Cl.

SCHVMANNVS vero perspicit ipse pag. 52. me ex principiis, contra quae declamat, nihil deducere, nisi quod ipse pariter confiteatur, cuius rei tamen causam non satis animaduertit. Querelis igitur de difficultate theoriae itidem non magis quidquam proficiet.

Contraria principia aut adaequata non

Nam quaecunque fortassis planior et breuior videbitur, aut *adaequata* non erit, aut non *characteristica*. Ipse sane nihil aliud fecit,

quam

quam quod ex conclusionibus principiorum *sunt, aut*
 a me positorum partem aliquam arripuit, et *non cha-*
 quidem eam, quae ab asperitatibus alioquin *racteristi-*
 obuiis sua natura maxime libera est, princi- *ca.*
 pium nempe *sufficientis causae, contingen-*
tiae, et sufficientis rationis cognoscendi, at-
 tamen huius generatim duntaxat spectatae.
 Hinc vero factum est, vt rite confirmare
 etiam non potuerit, id quod mox in clara
 luce ponam. Quid igitur faciet reliquis *na-*
turae axiomatibus? quid illi *probabilitatis* parti,
 quae aliis conclusionibus ex dictis princi-
 piis opus habet? Non enim dubito, quin
 talia in viuendi ratione cum reliquis pruden-
 tibus pariter sequatur. Agnoscendum po-
 stremo erit, dissimulando naturae praecepta,
 etiam eiusmodi theoriam effici non posse, quae
 cum natura vbiuis congruat. Atque, hoc
 ita se habere, animaduertet, si animum ad
 varias eruditionis partes circumquaque mite-
 re voluerit. Postulanda enim est obserua-
 tionis huius exploratissima veritas, neque lo-
 corum omnium inductionem res patitur, quo-
 fit, vt de adaequatis cognoscendi principiiis
 etiam disputari non possit, nisi cum viris im-
 pense doctis, iisque gnauis et probis. Quod
 ni ita esset, cur litium et dissensionum non
 finis aliquando fieret? Estne credibile, eas
 inter acutos homines diu permanere posse,
 nisi in re sua natura admodum perplexa et ad
 explicandum difficili?

*Principia
firmas pa-
riunt con-
clusiones,
prouti con-
ditiones
applicandi
evidentes
sunt.*

*Hinc
sphaera co-
gnitionis
humanae
duplex exi-
stit.*

Consequitur itaque ex meis principiis hoc solum, ut certa sint et indubitata, quae ex illis deducuntur, si hoc ipsum evidens sit, principia sic, ut a me explicita et restricta sunt, alicubi applicari posse. Sic v. g. nemini prudenti dubium esse potest, quicquid fit, a causa proficisci; quaecumque sunt, aut subiecta esse, aut accidentia praedicamentalia; quicquid est, esse alicubi et aliquando; materiam materiae impenetrabilem esse, et similia. Contra ubi conditiones applicationis ipsae obscuriores sunt, nec evidentes satis, efficitur tantummodo, ut, quae cum principiis quam maxime congruere videntur, teneamus tamdiu, quoad contrarium non aequae, aut certius, euinci potest. Diuiditur ergo cautione hac cognitio humana in partes seu sphaeras duas, quae euidencia secum inuicem discrepant, quarumque alterutra non magis abiicienda, quam altera cum altera permiscenda est. Veluti si quaeritur, num omne subiectum impenetrabile sit, demonstrari quidem potest, nihil Deo esse impenetrabile, sed ipsum potius spatium absolutum nequaquam ens separatum, aut separabile, sed existentiae entis infiniti abstractum et circumstantiam esse. Quantum vero ad hoc atinet, utrum omnia subiecta finita impenetrabilia sint, et utrum spiritus etiam suum quilibet locum, a natura determinatum, et proprium, quouis momento obsideant, tenemus illud tanquam rationi maxime congruum, quia

quia nulla contrarii vestigia apparent, attamen, dato hoc, de mutuis spirituum et corporum versus se inuicem operationibus luculenter ratio reddi potest.

Quamobrem etiam nihil proficit cl. SCHV-
MANNVS, quod ad euertenda mea princi-
pia generatim limites humanae intelligentiae
allegat, ex quibus, si eum audis, consequi-
tur, vt nunquam iudicare possimus, num-
quid forsan, ab alia parte spectatum, contra
principium contradictionis, aut contra scien-
tiam intelligentiae infinitae, aut contra alias
veri regulas nobis ignotas, impingat. Non
enim sentit, haec contra se pariter dici
posse. Estne enim cl. SHVMANNVS is,
qui, nos limitatos esse, negare audeat? Ex
quo si talia vere manant, vtrique rem diffi-
teri non debemus, sed scepticis, et praeci-
pue religionis oppugnatoribus, victas manus
dare. Quid ergo? Scilicet prouocando ad
repugnantiae principium, et ex hoc solo de-
monstrando, elapsurus est? Non puto. Hoc
enim propositionem identicam esse, fatetur
ipse. Gignit ergo non nisi hypotheticas con-
clusiones, quousque ad reales notiones non
applicatur. Harum igitur fontem vnde pe-
tet, nisi ab experientia, et axiomatibus na-
turae, id est, ex naturali sic cogitandi co-
actione, et incogitabilium falsitate? Non igi-
tur, si non omnia nobis cognita sunt, etiam
omnia sunt incognita, id quod ignauorum
latibulum est, sed criteria sollicitè expen-
denda

*Non satis
est, genera-
tim ad li-
mites ho-
minum
prouocare.*

denda sunt, quibus cognitum ab incognito, verum a falso, magis certum a minus certo, internosci debet.

*Quomodo
obligemur
ad sequen-
dam intel-
lectus na-
turam.*

Alterum, quod monere lubet, in eo positum est, quod p. 48. exagitat, quae dixi, stulte et impie agere, qui, *collisione nulla detecta*, assensum iis denegare velit, quae naturales cogitandi leges docent. *Licetne*, ait, *ita pronunciare: eum stulte agere, qui, id fallere posse, adeoque lubricum et anceps esse, iudicat, quod revera fallere potest, et actu fallere nonnunquam deprehenditur? Stultitia et prudentia e finibus aestimantur. Finis autem in scientiae peruestigatione hic est, ut verum a falso, ab incerto certum, discernatur, et unicuique enunciato suum statuatur pretium.* Bona verba, quaeso! nunquam ita colligere soleo. Nolo iam repetere, quae de fallendi periculo principiis meis incongrue obiecta sunt. Hoc autem loco ita colligebam, stulte agere eum, qui, quum velit finem, mediis vnicis vti nolit, nec non, qui dependentiae suae immemor sit, in veracitate creatoris acquiescere nolit, et officia sibi imposita, et a spiritu finito nunquam diuellenda, negligat. Annon perspicua haec sunt et explorata? Sic sane stultitiam et prudentiam e finibus aestimo, sed ex iis, quibus iudicari debet, non ex scopo iudicandi veri in genere, qui hoc loco non sufficit, vbi in quaestione est, num et quomodo obtineri possit. Sollemne est multis, id quod sentiunt sceptici,
et

*Distingui
debent*

et obstinatiores redduntur, vt quaestiones *de quaestiones primis cognitionis humanae principis*, et *de de cognitionis certitudine cognitionis humanae*, permisceant *tionis primis principis et de certitudine* et confundant. Illa quidem ita sunt exquirenda, vt appareat, ea, quae vsquam certa et confirmata putantur, illuc redire, indeque manare. Quo rite peracto, succedit demum altera quaestio, vtrum certitudo illa forsan mere apparens et subiectiua, an vera tutaque et obiectiua sit, et vnde hoc cognosci possit. Ego quidem in logica mea vtrumque sollicitè distinxī. Prius illud expediui cap. VII. VIII. IX. ad posterius progressus sum cap. X, et docui, quomodo scepticus de sua temeritate, deque ineptis prauisque scepticismi causis, admonendus sit. Primum igitur, quod *Quomodo exinde duci necessè est, obligatio est prudentiae*, qua fit, vt, qui ratione vtitur, rationis etiam naturam sequi debeat, nisi stultus *omnis certitudo a Deo pendeat, attamen orbis in demonstrando bene vitari possit.* esse velit. Tum sequitur, vt, quoniam iisdem regulis cognitio Dei et religionis continetur, Deus sit statuendus, officia erga eum sint agnoscenda, in eius veracitate, ex qua vim intelligentiae humanae pendere, non amplius diffiteri possumus, acquiescendum sit. Quantum igitur ad ipsam naturam et constitutionem humani intellectus, certaeque cognitionis genesis, attinet, origo eius, quemadmodum omnium rerum contingentium, ad Deum referenda est, nostraque cognitio *ἐκτύπος* tantummodo vera est ob conuenientiam cum cognitione Dei *ἀρχετύπω*, in cuius

cuius aeterno et infinito intellectu omnis veritatis necessaria sedes et vnicus fons est. Quantum verò ad nostram ea de re cognitionem spectat, non ideo opus est existentiam Numinis et attributorum eius per petitionem principii sumere, et ipsi de Deo quaestioni praeuertere. Demonstratio enim in orbem eo, quem delineauimus, modo facile vitatur, si ante omnia id, quod in nostra intelligentia primum est, obseruamus, dein planum facimus, hanc iudicandi normam primum negligi non posse sine stultitia, tum quoque non sine impietate et flagitio, quo facto ad immotum acquiescentiae firmamentum, veramque perspicientiam genesis cognitionis certae, peruentum est. Obtestor TE, HARDENBERGI, ipsumque SCHVMANNVM nostrum, annon haec vestra ipsorum conscientia confirmet. Sane qui hanc viam detrectat, cum aut in orbem demonstrare, aut intelligentiam independentem ridicule adfectare, aut, qua de re agatur, et in quo causa consistat, non accurate percipere, necesse est. Summe igitur purgatus cl. SCHVMANNO, quod non vt pag. 48. scripsit, potiozem philosophiae partem *inermem, praesidiisque omnibus destitutam*, reliquerim, id quod melius conuenit in eximios demonstratores, qui semper principium repugnantiae in ore habent, nihilque praeter hoc norunt, efficiuntque, vt neque cum natura, neque secum ipsa, consentiat eorum disciplina. Sensit haec ipsa eminus
cl.

cl. SCHVMANNVS. Fatetur enim expresse p. 52. *principia mea pro certis haberi posse, si existentia sapientissimi benignissimique Numinis demonstrata vel concessa ante fuerit.* Sed pag. 59. nihilo fecius contendit, *ea vel nullo, vel admodum lubrico, niti fundamento.* Nimirum subterfugerat attentionem eius, quomodo sine vitio demonstrationis in orbem redeuntis aliquis ad concedenda numinis attributa adigi queat. Relegat, quaeso, quae in logica §. 430 - 432. exposui.

Festusne es legendo, PERILLVSTRIS *Secundo* HARDENBERGI? Agnosco enim, me in SCHV-
dicenda causa contra primum cl. SCHVMANNVS
NI argumentum admodum verbum fuisse. *obiicit ra-*
Sed spero, TE non magis fastidiosum fore in *rum prin-*
legendo, quam ipse in scribendo fui. Colli- *cipiorum*
ge igitur patientiam, et reliqua etiam argu- *vsusum et ad*
menta accipe, quae, quoniam hactenus dicta *componen-*
huc pariter conueniunt, tractationem minus *das lites*
copiosam requirere videntur. Fatetur cl. *insufficien-*
SCHVMANNVS §. XI. principia mea, se-
cundum et tertium, *in genere* quidem et
stricte sumta, nemini facile dubium mouere.
(Hic non capio, quid sibi velit hoc *stricte*.
Videtur enim cum altero *in genere* non con-
sistere posse.) Reprehendit autem, quod
non multae enunciationes futurae sint, ubi
cuiuslibet mortali impossibile sit cogitare con-
trarium, eo nimirum casu, quem ponam, si
contradictio nulla appareat. Exempla allegat
sequentia: *esse per multos, qui, contendant, no-*
tiones

tiones effectus cuiuslibet, et rationis determinantis, tam arcto copulatas esse nexu, ut diuelli cogitatione nequeant; fuisse, qui susceperint, posse aliquid oriri sine causa; posse id ab aeterno existitisse per seriem causarum infinitam, cuius non existentia cogitari tamen potest. Addit in nota, statuere aliquos absolutum reprobationis decretum, aliis contra iurantibus, hoc se cogitare non posse. Antestatur etiam plurimum reuer. BOELDIKEVM qui, principio inseparabilium repugnare, dicat cogitare rem ratione determinante destitutam. Talia grauem eius querelam euocant, sic principia constitui, quae lites aeternum duraturas admittant. Si, ait, ab aliis principiis deserar, valde laborem, quid his hominibus respondeam. Frustra putat prouocari ad sensum aduersarii internum, vel probitatem. Iam haereo ergo, inquit, ad incitas redactus sum, saltem non habeo amplius, quo eum coerceam. Colligendis vero suffragiis si res agi debeat, praeuidet, me causa casurum.

Defenditur
vsus prin-
cipiorum
late pa-
tens.

Ad haec breuiter sequentia accipe 1) Bene noui, non adeo multas esse propositiones generales, quae ex principio inseparabilium et inconiungibilium, si ita vocare libet, proxime subsumuntur, et ipse recensui.*

Satis

* Vid. Logica §. 259. Potiores nempe sequentes sunt: *Omnis facultas inest in aliquo subiecto. Quidquid oritur, a sufficienti causa effici-*

Satis vero est, quod ex his innumerabiles aliae consequuntur, quin ex his pendent ea, in quibus praestantissimus omnium scientiarum nucleus positus est. Perpende, quaeſo, HARDENBERGI, quam late pateat vel vnum principium sufficientis causae, quod nisi perpexisset LEIBNITIVS, principium rationis sufficientis non repugnantiae principio, tanquam alterum cognitionis humanae fontem principem, adiunxisset. Ergone SCHV-MANNVS putat, philosophiam carere posse distincta explicatione, vnde huiusmodi propositionum certitudo ducatur?

2) A statu quaestionis aberrat cl. SCHV-MANNI disputatio, dum eiusmodi vult principia, quibus vsquequaque a nemine contradicatur, quaeque perperam applicentur a nemine. Estne hoc aliud quidquam, quam talia requirere, quibus necessario sapere omnes stultos oporteat, etiamsi nec attenti sint nec probi? Istiusmodi principia dari, cum scopo naturae hominum moralis pugnet. Quaerebatur autem inter nos de criteriis veri

Quousque principia ad assensum eliciendum comparata esse debent.
 efficitur. Quidquid cogitari potest, aliquando non fuisse, illud a causa productum et aliquando ortum est. Omnis substantia est alicubi. Quidquid est, est aliquando. Materia materiae impenetrabilis est. Dantur aliae etiam, sed quae non de rerum natura in genere agunt, sed ad determinatam certarum rerum indolem pertinent.

veri in intellectu humano positis, quae per se sufficiant ad veri et falsi, certi et incerti, discrimen, attamen quantum et quatenus rite applicantur, liberaque mente, nec turbata, operari possunt. Ecquis vero vnquam philosophus detrectauit, has in subiecto conditiones requirere, aut sibi sumsit, ex quouis ligno fabricare Mercurium? Non ideo causa cecidit, qui hominem stultum, et rationi nullo modo cedentem, mittere cogitur. Neque etiam colligendis suffragiis, res conficeretur. Pii et prudentes semper paucissimi inter homines erunt, qualiacunque etiam principia ponere auctori placeat. Quidnam igitur sibi vult, dum principia desiderat, quibus *coerceat* aduersarium? Conuenit inter nos de principio repugnantiae. Sed ne hoc quidem tutum fuit ab impudentia Epicuri, quem auctor est C I C E R O * negasse, in omnibus

* *Lib. I. de nat. deor. cap. XXV.* Alia similis temeritatis specimina commemorat Celeberr. MICH. CHRISTOPH. HANOVIVS, Philos. in Athenaeo Gedanensi Professor, in dissertatione, quae inscribitur *limites et demonstratio principii repugnantiae*, quaeque exstat in eius *disquisitionibus, argumenti potissimum metaphysici*, p. 177. etc. Equidem vix huc pertinent, quae Vir Clariss. primo loco refert p. 183. nempe quod perionatus quidam Christianus Israelita scripsit, *axioma illud naturale, quod duo contradictoria non possint simul vera esse, nullum Christianum verum posse agnoscere, immo nec debere.*

omnibus disiunctionibus, in quibus aut etiam, aut non, ponitur, alterutrum necessarium, et impossibile, E

bere. Videtur enim hoc ironice et cauillandi calumniandique causa contra Christianos dictum, Item, quod ex MEISNERI *Philos. Sobr. P. I. S. IV. quaest. met. p. 999.* allegat, qui vocat periculosissimum in diuinis principium illud logicum: *contradictoria sunt prorsus impossibilia*, illud non puto ad ipsum repugnantiae principium pertinere, sed ad temeritatem transferendi eius laudes ad repugnantiam cum notionibus arbitrarie, hypothetice, vel insufficienter, formati, quod sane peruulgatum est vitium. Grauiora vero sunt, quae sequuntur pag. 183. 188. nempe quod CARTESIVS *P. I. Epist. 110. et 115. P. II. Ep. 6.* POIRETVS quoque opinati fuerunt: *Deum potuisse libere statuere, ut contradictoria possent esse simul, quemadmodum effecerit, ut mens nostra huic comprehendendo iam sit impar. Liberum esse Deo efficere, ut in alio mundo tres anguli in triangulo, rectis lineis terminato, non sint aequales duobus angulis rectis: ut rectae a centro ad peripheriam circuli ductae inter se non sint aequales; et duo et unum non sint tria, et creatae res ab ipso sint independentes, et vniuersim, et contradictoria sint simul vera.* De talibus merito pronuntiamus, quod de Epicuro CICERO c. 1. *His quid dici potest obtusius?* Non intellexerunt illi viri, neque quomodo ex falsitate incogitabilium ad obiectiuam cognitionis certitudinem concludi debeat, neque quid singulare habeat repugnantia prae reliquis incogitabilibus. Praeterea alter aliquid impietatis,

fario verum esse. Quomodo igitur hunc
coercebit? Nempe terminos explicando,
obscuritates remouendo, rem illustrando,
aequi-

tis, alter fanaticae religionis aliquid, ad-
miscuisse viderur. Lubet hoc loco obiter
notare, quod Celeberr. HANOVIVS
*in ead. diss. §. 33. me reprehendit, quoniam in logica §. 258. scripsi, principium
repugnantiae esse propositionem identicam,*
(id quod ipse parum commode reddit *inane
effatum*) in qua per compendium haec duo
comprehendantur: quidquid est, illud est;
quidquid non est, illud non est. Contra
negat ipse, principium contradictionis ni-
hil amplius in se continere, quam duo ista,
aut illud ex iisdem compositum esse. Fer-
rem hanc dubitationem, dummodo ne vir
Clariss. ipse falsus esset, *hoc tantum inde
colligi, falsum esse, quidquid est, illud non
esse.* Annon vero haec est ipsa illa princi-
pii repugnantiae pars, quae agit de iis, quae
esse ponuntur? Scilicet ob ineluctabilem
cogitandi necessitatem haec duo aequipol-
lent: *quidquid est, illud est; et quidquid est
illud non non est.* Similiter si alteram expen-
dere placet principii partem, quae agit de
his, quae non esse ponuntur, pariter ae-
quipollent: *quidquid non est, illud non est;*
et quidquid non est, illud non non est, seu, vt
more HANOVII efferam, *falsum est, quid-
quid non est, illud esse.* Colligat, quaeso,
vir doctissimus haec vniuersa, et vna pro-
positione enuntiet; habebit principium re-
pugnantiae. Ego vero dum, his partibus
illud conslari, statui, non partes illas, tam-
quam principia priora, sumsi, sed ex falsi-
tate

aequitatem postulati, vsum in concludendo et similia edifferendo? Recte quidem. Hoc

E 3

pariter

rate incogitabilium evidentiam pendere dixi, siue sigillatim cogites partes, siue in vnum assertum compactas. Sed pace viri Celeberrimi dicam, eum ipsum falli, dum principium repugnantiae ex notionibus a priori demonstrare adgressus est, concludendo in hunc modum p. 189. *quidquid sibi ipsi repugnat, est impossibile* (per definit.) *Idem simul esse et non esse, sibi ipsi repugnat.* *Idem igitur simul esse et non esse, est impossibile.* Nequaquam sic habetur perfecta analysis, vt sibi vir doctus persuasit, sed aut petitur id, quod in questione est, aut syllogismus vitio formae laborat, et quatuor terminis continetur. Prima enim propositio si ponitur tamquam obiectiue vera, fumitur iamiam repugnantiae principium: sin minus, nihil aliud esse potest, quam vocabuli explicatio, quam ego definitionem nominis seu nominalem voco. Ergo terminus maior in propositione maiori est merum vocabulum, in conclusionem autem accipitur pro notione obiectiua, i. e. pro tali, cui obiectum extra cogitandi actum vere respondeat. Sentio tamen, nec sine voluptate, eruditissimum HANOVIVM, etiam quum nollet mecum sentire, vere sensu percepisse, quae vrgere soleo, iisque vsum fuisse. Nam dum demonstrationem principii repugnantiae, quam meditabatur, exinde §. 20. repetendam censuit, quoniam hoc principium continet iudicium mentis, cui veritas et certitudo recte tribuatur, quae igitur constare debeat

per

pariter mihi licebit, si quis in negando quocunque naturae axiomate proterius sit. **Quin** quo-

per notas falli nescias, ope intellectus, vel ope experientiae, perspicendus; annon tacite faterur et percipit id, quod tamquam summum cognitionis humanae principium allegavi, quodque in cogitandi necessitate et incogitabilium falsitate inest? Idem **ARISTOTELI** accidisse, perspicuum est ex locis a **Cl. HANOVIO** citatis, veluti *Lib. III.* (reperio potius *Libro IV.*) *Metaphys. C. III.* φανερόν, ὅτι ἀδύνατον, ἀλλὰ ὑπολαμβάνειν τὸν αὐτὸν εἶναι καὶ μὴ εἶναι τὸ αὐτό - - Διὸ πάντες ἀποδεικνύοντες εἰς ταύτην ἀνάγκησιν ἐσχάτην δόξαν h. e. manifestum est, IMPOSSIBILE ESSE, eundem hominem CONCIPERE, idem esse, et non esse. - IDEO omnes, qui demonstrant, ad ultimum hocce assertum reducunt. Atque ita etiam celeb. **HANOVIVS** interpretatur §. 21. **ARISTOTELEM**: manifestum esse, fieri non posse, ut simul arbitreris, eundem esse et non esse idem (illud) quiddam. Hoccine, inquit, est, repugnare id manifesto **INDOLI MENTIS NOSTRAE**, ut statuamus, idem simul esse, atque non esse? Subiungit similia ex *Wolfiana Ontol.* §. 27. Eam experimur mentis nostrae naturam, ut, dum ea iudicat, aliquid esse, simul iudicare nequeat, idem non esse, et §. 28. naturae igitur mentis nostrae conscii ad exempla attendentes, concedimus etc. Fallitur tamen celeb. **HANOVIVS**, dum infert, ill. **WOLFIVM** igitur principium repugnantiae per experientiam probasse. Dicendum erat, illud probatum esse per postulatum sensationis internae de naturali sic cogitandi necessitate. Nam profecto, quodcunque cogi-

quotiescunque controuersia ad certa sensiois postulara, siue internaе, siue externaе, deuoluitur, (redit autem huc semper, ubi non

E 4 de

cogitemus axioma, cogitationis huius nobis conscii esse debemus, si eo est utendum. Percipiendum igitur est sensu interno, an et quale cogitemus. Sed hoc non impedit, quo minus cogitatum mente informeretur, tamquam axioma, neutiquam tamquam experientia, quamquam experiris, seu sentis, existentiam actus cogitandi. Obiectum experientiae sunt contingenter existentia. Sed axiomatis vis et natura in eo posita est, ut immediate percipias in aliqua propositione, negato praedicato, euanescere confestim subiecti etiam notionem. Hoc ita fieri, experientia interna docere debet, sed ipsa propositio eam ob rem experientia non est. Possem multa alia redarguere, quae clariss. HANOVIUS in citato tractatu, nec non in alio eiusdem libri, qui inscribitur: *enucleata quadamtenus rerum simplicitas*, nimis properanter contra me scripsit. Oppugnat sane doctrinam meam de simplicibus, nec non de iis essentiis, quae necessariae sunt, miris argumentationibus, quae aut admodum infirmae sunt, aut a statu quaestionis procul recedunt. Instantiis etiam contra me vitur ita incongruis, ut mirari liceat, quid vir cuius admodum veneror nomen, dissimilitudinem inter illas et meas notiones, quas laceffit, non animaduertat. Verum latius illa patent, quam ut hoc loco tractari queant, suntque, ubi opus fuerit, alii tempori reseruanda.

de meris conceptibus in abstracto, aut hypothetice, spectatis, sed de iis, quae vere sunt, vel actu fieri possunt, disputatur,) toties nihil amplius valemus. At non est, quod eam ob rem timeamus. Sunt multi, qui veritati non obtemperant; sed rara est impudentia, negare, quorum sensio clara et satis perspicua effecta est, praesertim vbi plures adsunt auscultantes. Agamus igitur hoc, vt rationes quisque nostras in clara luce, et veluti ante oculos, ponamus. Nihil metuendum erit bonae causae. Sunt interdum, qui invidia ducti, iraque facile perciti, dissentientem fere enecant cauillando et impudenter negando. Cum his vero, quanquam solum cum solis sine fructu disputarem, non difficulter tamen publice disputatur. Simulatque enim plures adfident audientes iudicantesque, quoniam intelligentiae vis a natura omnibus eadem est, et iisdem continetur regulis, nisi veritatis amore verum fateantur, mouebuntur certe sedentium auctoritate. Scilicet suae ipsorum famae parcent. Veluti, si in experimentis, quae microscopiis capiuntur, aliquis obrectandi causa deprimere studeat nouarum rerum obseruatorem; non facile hoc audebit contra videntium plurium iudicium, multo minus audebit, si praeterea rationes expromuntur, cur res per se nihil incredibile, offensionis nihil, habeat. Caeterum si quis etiam huc audaciae procederet, vides, PERILLVSTRIS HARDENBERGI, quid

quid faciendum sit. Animo Egoistam concipe, qui neget, coactum se sensibus esse, confiteri, esse sibi corpus, aut coelum terramque esse, et, quocum disputet, aduersarium. Putaresne, TE in angustias coniectum? Certe, si SCHVMANNVM audis. Quomodo enim eum *coercebis*? Remouendo et expediendo, quae stolidae dubitationis ansam praeauerunt? Quid vero, si his non cedit? Accusabis igitur differentes philosophos, quod idonea nulla scientiae humanae principia subministrant? Ego vero solatium peterem ex diuinae sapientiae per SALOMONEM verbis *Prouerb. XXVII. 22. Stultum etiam si in pila pistillo pinsas inter graneam, non recedet ab eo eius stupiditas.*

3) Allata a clariss. SCHVMANNO exempla contra me nihil efficiunt. Primo enim, Quod plurimum reuer. BOELDIKEVS sibi persuasit, ex principio inseparabilium manare, quicquid oritur, ex causa determinante gigni, id perplexitati status quaestionis tribuendum est. Ah! male ageretur cum principiis, si, quoties docti in causis perplexis haerent, et quomodo se expediant, non statim vident, culpam transferre liceret in principia generalia. Fefellit BOELDIKEVM, quod non satis distinxerat, quid intersit inter *causam habere sufficientem*, et *causam habere eiusmodi*, quae ipsa in agendo *ad vnicum agendi modum determinata* est, id quod liquido constat ex eius verbis in *Theo-*

*Instantiae
refutantur.
An effectus
cogitari
nequeat si-
ne causa
ad vnum
agendi mo-
dum deter-
minata.*

dicata pag. 457. etc. a SCHVMANNO citatis pag. 50. es ist in den Satz des Nichtzurückmenden gegründet (Hoc principium doctiss. BOELDIKEO soli relinquo. Nequaquam enim est vnum idemque cum meo inseparabilem principio, nec pro principio commendari potest, non, quod verum non sit, dummodo ne sinistre explicetur, sed quod characteristicum non est, et iudicandis exemplis nondum accommodatum. Complectitur enim non solum, quae immediate cogitatione iungi, aut separari, non possunt, verum etiam quasuis cognitionis humanae lacunas, quin ipsas praesumptiones non apparentis causae, et vnicae possibilitatis, de quibus in probabilitatis doctrina praecepi. At quam multae res, variaequae indolis, et peculiarem logicorum sollertiam quaelibet postulant, hoc modo compinguntur, ne dicam, miscentur.)

Es ist unserer Empfindung zuwider, daß etwas ohne einem determinirenden Grund seyn sollte. Es frappiret unsern Verstand, wenn man glauben soll, daß das folgende nicht in dem vorhergehenden gegründet sey. En subitam elenchi mutationem! Annon posterius in priori fundatum esse potest, etiam vbi non omnium ratio determinans conceditur? hoc est, tametsi non omnes efficientes causae semper et vbique ad vnicum agendi modum determinatae fuerunt?) Deinde eorum, quae olim non fuerunt, aliqua, nedum vniuersa, sine vllis sufficientibus causis nata esse, nescio

an

An quisquam statuat, nasci

an sint, qui serio dicant. Praeter declinationes atomorum Epicuri,* quas sine vlla causa accidere, per oscitantiam et disputandi incertiam dixit, explosus ideo et derisus ab omnibus philosophis, in quibus modo aliqua auctoritas fuit, exemplum mihi certe non constat. Tertio *contingentiae principium* a multis quidem parum recte agnoscitur, sed eatenus duntaxat, quatenus contingentiam substantiarum simplicium, viriumque primitivarum, agnoscere debent. Fit autem hoc partim philosophorum culpa, qui illud aut non explicant satis, aut negligunt etiam, ubi vindicari maxime attinebat. Multi enim contingentiam eiusmodi rerum, in quibus nondum inest, quicquid perfectionis vna cogitari potest, potius ex principio repugnantiae, aut ex principio illo ambiguo rationis sufficientis demonstrare, quam sigillatim excutere, malunt. Quod quoniam fieri vere non potest, sed tentatur tantummodo saltibus, et vitiosis concludendi formis; efficiunt, ut acuti contemnant paralogismos illos, interim quoque vim genuini contingentiae criterii pariter non perspiciant. Partem non exiguam huius negandi temeritatis etiam impietas sibi vindicat, propterea, quod haec conclusio cum religione proxime copulata est. Caeterum quotquot huiusmodi exempla allegentur, consequens est;

* Vid. CICERO *de nat. deor. Lib. I. Cap. XXV.*

est, vt liquidius constet, quam vere paullo ante dixerim, in omnibus, quae de entibus realibus agitantur, controuersis rem postremo ad postulata quaedam internae vel externae sensationis redire, quae euidentia sunt animaduertentibus, ita tamen, vt sinceri sint

*Intempesti-
ue adsci-
tum exem-
plum a de-
creto re-
probatio-
nis.*

atque industrii. Mirum autem videtur, cl. SCHV MANNVM, vt instantias contra me cumularet, allegare quoque, esse, qui Deum, decreto absoluto damnantem, sibi cogitare posse videantur. Vecordia enim ista ne conuenit quidem in locum, de quo nunc disputatur. Affirmatiua enim nequaquam subsumitur ex inseparabilium principio. Dicendum enim foret, Deum non cogitari posse sine decreto damnandi creaturas absoluto, quod nemo, quantum scio, prae se ferre ausus est. Negatiua vero, nimirum fieri non posse, vt Deus ultro, et absolute, innoxiorum perniciem aeternam decreuerit,

solius potentiae declarandae causa vti SCHV MANNVS pag. 50 enuntiauit, plane huius loci non est. Non enim haec axioma est, quod immediata cum summis principiis comparatione perspici possit, sed theorema, ex aliis notionibus expediendum.

*Tertium
SCHV-
MANNI
argumen-
tum nititur
precaria*

Tertium cl. SCHV MANNI argumentum §. XIII. breuius dilui potest. Nititur enim propositione mere precaria. Nam tanquam exploratum sumit, nihil eorum, in quibus nulla inest repugnantia, impossibile esse, ex quo

quo contra me argumentatur, quaedam, *sumtione de natura impossibili-
lium.*
 quae secundum mea principia impossibilia esse debeant, simul possibilis esse, eo quod a repugnancia sint libera, quo quidem modo aliquid repugnans ex theoria mea eruisse sibi videtur. Ea vero in re egregie fallitur. Namque sumendo talia petit id, quod in quaestione est. Repugnans est impossibile, sed non repugnans ideo non statim est possibile. Quando igitur pro possibili habendum sit, contendo, secundum ea, quae exposui, principia iudicari oportere. Dissidentes hoc loco perperam speciem impossibilium loco definitionis ponere solent. Arripiunt autem omnium facillimam, eam nempe, quae ex repugnantiae principio confici potest. Nescio enim, qui fiat, ut eruditi iam contradictionis principio tantopere ludant, idque praeter rem applicare satagant, e contrario veram notionum realium genesin magnam partem negligant, in quo quidem repugnantiae principio admodum abutuntur. Eat mihi aliquis, et demonstret, eum repugnantia loqui, qui ens, quod oritur, coepisse aiat sine causa efficiente. Diluat, quaeso, ea, quae hac de re in logica §. 260. dixi, et erit mihi magnus Apollo. At iudicent prudentes, annon impossibile sit, quidpiam esse incipere sine causa, idque statuere an minus obtusum sit, quam si quis neget, duo bis sumta efficere quatuor.

Notam

Soluitur Notam etiam Cl. SCHVMANNVS suae
alia obie- paragrapho subiecit, quae logicae meae
ctio. §. 425. opposita est, in qua facilius ipsi
 fuit, multa compingere, quae dicit tantum-
 modo, non probat, quam mihi est, quoniam
 nimis prolixa iam facta est disputatio nostra,
 ea omnia enodare, quibus dubitationes tam
 late patentes penitus eximi possint. Agitur
 illic de eo casu, ubi alterum, A, sine altero,
 B, cogitari nequit, atque ab omnibus cogi-
 tantibus semper nexum cogitatur A B. Argui-
 tur hinc sceptici temeritas, qui dicere ausit,
 A esse sine B, ideoque B verbis remoueat,
 quod cogitando remouere humanae faculta-
 tis non erat. Quid ad haec SCHVMAN-
 NVS? Scepticum inducit negantem, se co-
 gitare A B, dicentem tantummodo, quod
 cogitet A sine B. Quid hoc sibi vult? Ali-
 um igitur, quam ego posui, casum fingit.
 Ego enim de eo loquor, ubi aduersarius A
 cum B cogitat, neque hoc diffiteri potest, nisi
 simulando, ubi igitur duntaxat quaeritur, qualis
 obiectorum indoles extra intellectum huic cogi-
 tandi necessitati responderé existimanda sit. Cae-
 terum si mentiri scepticus instituit, scire velim,
 vtrum cl. SCHVMANNVS ad eum conuer-
 tendum expeditioribus remediis instructus sit?
 Nam si pari impudentia, se cogitare repugnan-
 tia posse, iacset, non sane nouo principio,
 sed rei illustratione et explanatione, in viam
 reducendus, aut, si ne hoc quidem succe-
 dat, contemnendus et ingenio suo relinquen-
 dus

dus erit. Adde etiam, si alia veritas alia li- *An facili-*
 quet facilius, eamque ob causam rarius impugna- *ma cogni-*
 tur, veluti quae sensus docet externus, qui pri- *tionis pars*
 mam intelligentiae nostrae materiam porrigit, *praecipua*
 qua vtuntur probi et improbi, aut repugnanti- *fit.*
 aie principium, quod certitudinem independen-
 dentem, etiam negato Deo, polliceri videntur: nequaquam hinc sequitur, reliquam cognitionis partem deferendam, aut viliori pretio aestimandam esse. Fieri enim potest, quin res vere sic se habet, vt altera cognitionis pars, ad quam non sine cuiusque ipsius studio, animo etiam inter discendum ad religionem et virtutem adsuefacto, perueniri potest, multo maioris sit ponderis, et cum vitae nostrae scopo propius connexa. Venimus enim hoc loco ad id, quod praecipue facit ad intelligendum, cur hominum facta moraliter ipsis imputari queant. Habent nempe hoc, quod possint imputari, inprimis exinde, quod status intellectus, resque iudicandi ratio, eorumque, quae amplectimur, vel aspernamur, delectus, sub imputationem cadunt. Quod quum aliqui animaduertant parum; vbi de virtutibus vel vitiis praecipiant, excusant potius flagitia, et culpa liberant, quam vim eorum et turpitudinem monstrant. Nam, quae in oculos incurrunt, facta certis intellectus iudiciis, aut solis illis, aut certe his simul, gignuntur. Reliqua
 SCHUMANNI in dicta nota non attingo, veluti quod determinationes loci et temporis, *aliaque,*

aliaque, ex principio repugnantiae solo, vel ex tuo rationis sufficientis principio, supersedendo meis principiis, deducere posse sibi videtur. Longiora ista sunt, nec huius temporis. Forsan res recogitando perspiciet ipse vir clarissimus, quantopere haec spes fallat eum, qui ab orbe in demonstrando et vitiis in ratiocinando sibi diligenter cauet.

*Quartum
SCHV-
MANNI
argumen-
tum: prin-
cipia mea
aut onto-
logica non
esse, aut
non certa.*

Progredior tandem ad quartum cl. SCHV MANNI argumentum, meae oppositum theoriae, qua criteria veri in omni intelligentia humana ex naturali certas res ita, non aliter, cogitandi necessitate et incogitabilium falsitate, caute tamen intelligenda illa et applicanda, deduxi. Neruum argumenti, PERILLVSTRIS HARDENBERGI, breuiter sic habe. Principia mea fatetur quidem pro certis haberi posse, si existentia sapientissimi benignissimique Numinis demonstrata vel antea concessa fuerit. Sed contendit, sin Deum praesupponam, principia mea non ontologica fore, temereque Leibnitianis a me vitio datum fuisse, quod suum principium ex sapientia diuina demonstratum eant: Sin vero criteriorum meorum veritatem ex *finibus Dei* (dixerim potius ex *attributis Dei*, ne quis fines liberos huc trahat) non repetam; non licere mihi, nostram cogitandi facultatem, non necessariam, quaeque in aliis alia esse possit, tanquam vnicam et necessariam veritatis normam constituere. Breuis ad haec esse poterit. Sunt enim, quaecun- que

que huc spectant, in antecedentibus copiose disputata.

Respondeo igitur ad primum, in ontologia quidem criteria entis realis occurrere debere, sed, quoniam cum criteriis veri una eademque sunt, ex logica transfumenda esse. Sunt sane quaedam res, quae ad logicam et ontologiam simul pertinent, diuerso tamen respectu. Logica enim circa operationes et regulas intellectus, ontologia circa communem entium naturam, quaeque de his a priori colligere licet, versatur. Logicae igitur sunt abstracta reflexa, et cogitationum genera. Ontologia autem res, quemadmodum, extra intellectum positas esse, necesse est, contemplatur. Ex quo liquido apparet, esse quaedam oportere, quae suo modo vtrique communia sunt. Veluti de causis praecipuum est in logica, quatenus explicanda est abstractio causalis, neglecta illa a multis magno scientiarum malo, cui si medela non adhibetur, plura eius generis scripta videbimus, cuiusmodi adhuc multa prodierunt, in quibus ineptarum de principio rationis sufficientis demonstrationum nec modus est, nec finis, eo quod auctores abstractionem existentialem et causalem non discernunt. Nosti, HARDENBERGI, quos pungam. Nam v. g. qui inculcant, quicquid est, ex aliquo concipi oportere, quo sane nihil aiunt aliud, quam cogitari fixum quid et determinatum oportere, dum hoc vel illud ens ponitur,

F

feu,

feu, quod idem est, omne ens debere esse ens, hi deinceps vocabulo ludunt, et rationem entis vocant, ex quo illud concipi potest, atque ita videntur sibi principium rationis sufficientis demonstrare, nequaquam capientes, quid intersit inter abstractionem existentialem et causalem. Libetne cum cl. SCHV-MANNO rogare, quomodo hos *coerceamus*, ut discant tandem, qua de re agatur? Sed haec obiter. Dicere enim volebam, de causis in Logica agendum esse, quatenus abstracta causalia enodanda sunt; et in ontologia itidem, sed quatenus entia cum entibus comparantur, et principiorum fiendi natura et indoles quaeritur. Idem prorsus dicendum est de summis mentis humanae principiis, ex quibus iudicandi regulae in logica, in ontologia entis vel non entis criteria, petuntur. Atque diligenter obseruandum est hoc loco commune, quo copulantur scientiae, vinculum. Cognitio enim humana ita gignitur, ut ex cognitis a posteriori ad eorum, quae exhibet natura, analysin, indeque ad rerum, quae a priori sunt, principia ascendamus. Quare quanquam de summis principiis essendi metaphysica praecipit, earumque generalissimam partem sibi vindicat ontologia; magnopere tamen falluntur, qui metaphysicam volunt, quae ad iudicandum etiam logicam non praesupponat, cuius officium est $\tau\delta$ formale cognitionis exponere et intellectum acuere. Similiter et si non omnia simul

*Quousque
ontologia
utatur
lemmatibus
ex logica et
theol. nat.*

simul exponi possunt, sed ratione et ordine uti oportet, carere tamen ontologia non potest lemmatibus ex theologia naturali, quod nisi obseruetur, straminea admodum erit. Enimvero abutuntur multi methodo, quam praese ferunt, synthetica. Hinc vidimus etiam, cui ipsa ontologia nondum suprema videbatur, et aliquam veluti hyperontologiam excogitavit. Ut tamen ad meam ipsius causam redeam, planum paullo ante feci, quomodo in cognoscenda Numinis existentia, petendaque ex veracitate eius humanae intelligentiae securitate, sine vlla principii petitione versari liceat.

Quod reliquum est, immane quantum interest inter hanc, ad quam prouoco, methodum, et consuetudinem quorundam Leibnizianorum, confirmandi suum principium, appellando sapientiam diuinam, id quod temere fieri, etiamnum censeo. Attamen longe alias ob causas ita opinor. Primum enim docti, hoc loco rationem sufficientem, de qua agebatur, cum ratione moraliter sufficiente permisceri, quin etiam praeterea paralogismos neci. Quoniam enim non nisi de libertate dissensio est, quis ferre potest prouocantem ad sapientiam diuinam, dum ruinam libertati parat? non secus ac si libertas pugnaret cum sapientia Dei, quae, demto libero arbitrio, nulla est. Deum enim illi inducunt intelligentem, potentem, machinatorem prudentem, neutiquam sapientem.

An confirmatio principii rat. suff. recte petatur a sapientia Dei.

tem. Deinde etiam in eo labuntur, quod non vident, secuturum esse ex ipsorum argumento, vt Deus ob finem sapienter electum fecerit, vt, quicquid oritur, ex aliqua causa gignatur. Quasi vero ac si necessariae rerum naturae hoc non tribuendum esset. Similem ferme in modum philosophantur, quo illi, qui omniscientiam Dei, sanctitatem etiam et benignitatem, ex sapientia deriuant, quae omnia in sapientia praesupponuntur. Sed nostra aetate quid non deducitur ex sapientia Dei ab his, qui, quo se vertant, non statim reperiunt? Iam vide, perspicacissime HARDENBERGI, num reprehendendo aperta haec concludendi vitia mecum ipse discrepem. Negavi igitur, summa intelligentiae humanae principia, quae ante Deum cognitum subiectiue duntaxat, vt docui, summa sunt, obiectiuam suam certitudinem vlllo modo a diuinis ducere posse attributis? Est hoc potius, quod nunquam deferam, quin impium esset contrarium et reuerentiae inimicum, quam animus contingens creatori debet eiusque intellectui necessario. Sed cauendum est a principii petitionibus, et recta via tenenda, quae si eo, quem in logica exposui, modo cl. SCHVMANNO familiaris fuisset, non puto, talia scripturum fuisse.

*Quomodo
ante existentiam
Dei probatam in na-*

Sic fere alterum quoque, quod exprobrat mihi, iam expeditum est, quomodo nempe, Deo nondum praesupposito, naturam intellectus criterium veri constituere possim.

sim. Non enim de illa animi indole loquor, *tura intel-*
 quae in aliis alia est, sed de communi natura, *lectus poni*
 de qua recte iudicauit CICERO*: *nihil est possint cri-*
vnum vni tam simile, tam par, quam omnes
inter nosmet ipsos sumus. Quod si depraua-
tio consuetudinum, si opinionum vanitas non
imbecillitatem animorum torqueret, et flecte-
ret, quocumque coepisset, sui nemo ipse tam si-
milis esset, quam omnes sunt omnium. Satis
 autem est illi, qui Deum nondum agnoscit,
 naturam intellectus summam iudicandi nor-
 mam esse saltem subiectiue. Nam profecto
 aliam non habet, et hanc in communi vita
 humana, non secus ac alii, sequitur, etiamsi
 sceptici personam suscipiat. Si planum deinceps
 redditur, eandem iudicandi normam ae-
 que conuenire in doctrinas de Deo, de iusto
 et iniusto, et innumera scientiarum capita;
 aut missum faciet scepticismum, quo facto
 obiectiuam cognitionis certitudinem a Deo
 repetet, aut, si maneat pernicax, partium
 studium fateri cogitur, et non modo stulti-
 tiae, sed flagitii etiam, reus est, scilicet pro-
 pterea, quod discrimen boni et mali sine causa
 tollit, et instar Dei esse vult, independentem
 adfectans intelligentiam, antequam Deum
 confiteatur. Sic sane, posito Deo, poenas
 se daturum, praeuidere potest. Nam si est
 Deus, perfectionis esse amantem, necesse
 est. Quod si ita est, conuenienter iuri iudi-
 cabit,

F 3

* Lib. I. de legibus, Cap. X.

cabit, quod creatori est in creaturas, quo fit, ut ab illo impune hoc auferre non possimus, si, independentiam stulte adfectando, omne possibile Numinis ius in nosmet ipsos tollere audeamus.

Praecluduntur effugia SCHVMANNI. Frustra reprehendit diversitatem graduum evidentiae.

Supereſt etiam ſcholion, quod cl. SCHVMANNVS argumento ſubiunxit, ſtuditque providere, ne, quae haecenus contra me diſputavit, in eum pariter convenire videantur. Nempe inter meam et ipſius theoriam ſequentia putat intereſſe. Primum in meis principiis non ſemper aequae neceſſaria et evidens pugna, aut aequae neceſſarius nexus notionum, percipitur, quod contra de ſuis affirmat. Poſtremum hoc vix capio. Alia enim principia nondum ſuppeditavit. Quoniam tamen de repugnantiae principio nulla diſſenſio eſt, intelligit ſine dubio ſuam rationis ſufficientis enuntiationem. Videbimus eam poſthac. Ut fidem dictis faciat, prouocat ad propoſitionem meam I. et II. Scilicet in illa ponitur, quicquid oritur, gigni a ſufficienti cauſa, in hac vero, quicquid cogitari poteſt non exiſtiſſe, aliquando vere fuiſſe ortum, quorum illam principium ſufficientis cauſae, hanc contingentiae principium ſaepeius vocavi. Teſtatur igitur cl. SCHVMANNVS pag. 54. *quicquid bonae mentis in orbe verſatur, qui cogitando has propoſitiones eandem neceſſitatem ſentiant, quam percipiunt cogitando ſua ipſius principia.* Mirum vero! Sentire enim illud et percipere, annon, inuito SCHVMANNO, ablegat

ablegat lectorem ad id, quod supremo loco ego quidem posui, nempe ad principium necessitatis ita cogitandi? Qualia vero putat sua principia? Agamus coram eo, quod constituit, tribunali. Testatur enim tantum quicquid est *bonae* mentis. Nōuitne, qui incertum putet, quicquid oritur, a causa gigni? Ego nusquam noui. Quantum ad contingentiae principium, contradicitur illi quidem a quibusdam, nempe a defensoribus mundi aeterni. Putatne autem, suo scripto non contradici? Expromant Wolfiani sententiam suam. Sed profecto de iis partibus, in quibus applicatio summi, quod posui, principii clare percipitur, et, quoad hoc locum obtinet, non pugnabitur. Amicissimos illic habemus omnes, qui *LEIBNITIVM* vel *WOLFIVM* sequuntur. Non enim id agunt, ut, quae sic pono, tollant, sed tantummodo nōndum satisfacio illis, pluraque adiici volunt. Ducitur vero dissensio, quae de reliquis est principiis praeter illud, quod repugnantiae dicitur, ex multo aliis causis, quae nihil viciant principiorum euidenciam, dummodo quis circumspecte attendat.

Cur de quibusdam facilis oriatur dissensio.

Primum enim reliqua illa principia, ubi applicari debent, subtiliorem postulant sententiam internam, eiusque intensionem, cuiusmodi in rebus optimus quisque passim labitur. Hinc perceptio eorum plerumque imbecillior est, quo fit, ut deprimi et obscurari

Primum quia quaedam subtiliorem postulant intensionem.

*Deinde
quia excellen-
tia princi-
pii repu-
gnantiae
ad abusum
trahitur.*

facilius possit, voluntatis etiam adfectibus turbari. Sic Epicurus ne repugnantiae quidem principio cedere voluit, quod evidentiae eius non nocet. Deinde contradictionis principium habet hoc singulare, ut non modo repugnans cogitationem respuat, sed ne intellectus quidem cogitari possit, in quo ponatur vis fortasse cogitandi repugnantiae. Accedit denique, quod secundum repugnantiae principium, etiam non posito Deo, certitudinem independentem perspici, vulgo putant, ideoque huic soli certissima quaeque superstrui posse, et debere, existimant. In quo errant quidem, quia sensus, memoria, atque vniuersae vires mentis, tamquam ad percipiendum, quae et quousque cogites, et ad explorandum verum, comparatae, etiam sic praesupponuntur, sine quibus nulla principii repugnantiae applicatio foret. Sed hunc errorem multi non animaduertunt. Quaesiverim igitur, num cl. SCHVMANNVS, esurire se vel sitire, eodem evidentiae genere percipiat, quo veritatem principii repugnantiae percipit. Ait? Sufficitne igitur, si de iis, quae defendo, principiis idem valet? Sed negat? Mihi vero satis erit, si principia mea non magis euidenter percipiuntur, quam fames vel sitis.

*An princi-
pio repu-
gnantiae
aliquod su-
perius sit.*

Alterum in eo ponit discrimen, quod sua vbique vera esse dicit principia, de meis criminationem repetit, quod fallere posse concedam, quae opinio ex mente mea non intellecta

tellecta fluxit. Hoc antea reprehensum iam transeo. Audiamus tertium. Vicio dat, quod repugnantiae principium ipsum ex ratione priori et antecedenti demonstrum, quod fieri posse omnes constanter negent. Dixi nempe, contradictoria reiici, quoniam eorum nulla prorsus cogitatio est. Idem vero ipsum dixisse WOLFIVM, supra docui, et omnes constanter adfirmant. Vtrum peculiari propositione id complectantur, et principii nomine insigniant, an sermone et explanationibus tantummodo innuant, ad methodi pertinet ἀξιωματικῶν, minime ad rem. Mira sunt, quae hoc loco cl. SCHV MANNVS scripsit, et dissimilia fere reliquo eius acuminis. Sic enim disputat pag. 54. *verum quidem est, intellectus non potest cogitare contrarium, sed hoc non continet rationem, cur principium istud verum sit. Ordo potius inuertendus est: Quoniam, si principium illud considero, animaduerto, rem per se et absolute aliter esse non posse; ideo neque possum cogitare contrarium. Hinc scimus quoque, intelligentiam nullam effingere posse contrarium. Idem prope valet de experientia, et, quae hac nititur, certitudine morali.* Pace viri optimi dico, haec expungi debuisse. Quaero enim, vnde animaduertis, nisi attendendo ad cogitationes tuas? Estne aliud quiddam, ita prouocare ad id quod consideres et animaduertas, quam appellare necessitatem sic cogitandi? Animaduertis, rem aliter esse non

posse? Quid sibi vult illud *non posse?* Estne aliud quidpiam, quam percipere, tentata cogitatione oppositi, rem non succedere? Hoc etiam *per se* et *absolute* animaduertis, et scis *intelligentiam nullam fingere posse contrarium?* At quomodo a tuo intellectu consequentia valet ad quemcunque, nisi cogitando, te ne talem quidem intellectum cogitare posse, in quo vera sint, quae repugnant? Ordo perperam inuersus est. Cogitatio enim, quod et quid cogitemus, natura sua prior est cogitatione, verum falsumne sit, quod cogites. Si meum valet principium, quod naturae est, recte a cogitabilitate ad possibilitatem, ab incogitabilitate ad impossibilitatem, nempe extra cogitandi actum spectatam illam, perges. Sin minus, scire aueo, quomodo ex definitionibus nominalibus efficere possis conclusiones reales? Non magis recte se habent, quae cl. auctor de experientia addit. Nam si de illa idem *prope*, ideoque non *profsus*, valet, vnde ducit experientiae certitudinem? Sed non capio, quid sit illud *prope*. Experientia enim non docet veritates necessarias, sed contingentes. Est igitur euidens alio modo ac repugnantiae principium, illique certum genus materiae subministrat, cui applicari possit sic, vt reales nascantur conclusiones, quousque nimirum certa est experientia, quae ponitur. Contra ea experientiae certitudo bene et proxime ducitur a summo, quod posui, principio.

Quate-

Quatenus enim clare sentio, impossibile est mihi cogitare, quod non sentiam. Coniunge cum his, quae supra de via ac modo dixi, quo confirmatur certitudo cognitionis humanae obiectiua. Tunc concludere licet, existere ea, quorum existentiam et praesentiam cogitare inter sentiendum cogimur.

Ibidem praeterea contra me scripsit cl. *Quousque auctor, me omnium propositionum veritatem ex eo fonte deriuare, quod cum intellectus nostri natura et cogitandi facultate conueniant* ^{suspiciari liceat, quae cogitare non possumus, alium posse cogitare.} (Notandum vero, *conueniendi* vocem nimis latam et ambiguam esse, nec distinctae explanationi sufficere, quanquam recte intellecta non falsa sit.) *ideo me concedere quoque cogi, in intellectu alio ea falsa esse posse.* Sic male, quae dixi, interpretatur. Haec nullo modo sequuntur, si Deus verax est. Potius ita statuo. Si a repugnantiae principio discesseris, reliqua nostra veritatis criteria nosmet ipsos tantummodo proxime cogunt ad ita cogitandum, sed non item, et proxime statim, cogere possunt ad cogitandum, quomodo se res habeat in alio intellectu. Hinc fit, vt, quid in intellectu diuino de rebus huiusmodi verum sit, et quousque suspicari liceat, cogitare fortassis alium spiritum tanquam falsa, quae nos adigat natura ad cogitandum tanquam vera, peculiaris questionis sit. Docui nempe, hoc, omnibus inter se comparatis, pensitata etiam naturae nostrae limitatione et dependentia, confici oportere. Hinc natae sunt restrictio-

restrictiones principiorum meorum, quibus neglectis errorem nemo vitare potest. Simul hoc consequitur, varias cognitionis sphaeras, variosque euidetiae gradus, dari. Indignumne hoc Deo est? Sensim sane, et pio studio, nos progredi voluit, quin etiam non omnem, cuius mens nostra capax est, cognitionem in hac vita, aut omnibus promiscue, bonis et malis, concedere voluit. Theologice me loqui putas, non iuxta philosophiae leges? Non sane, quantum ad id, in quo caput rei positum est. Experientia enim quemque docet euidetiae varietatem, et sensim crescentes gradus. Quae igitur vere adaequata sunt cognitionis humanae principia, ita debent comparata esse, vt, vniuersa haec quomodo nascantur, exinde intelligi possit. Satiusne igitur est, quorundam more seligere ex hoc genere, quae facillima et minime impedita sunt, vt superbias his, nouamque sapientiam de coelo deuocare videaris, non intelligentiae communis rationem reddere, maximam vero cognitionis partem, qua sane continetur vita humana, obscuritati suae, et abutentium libidini, relinquere? Vides igitur, PERILLVSTRIS HARDENBERGI, non consistere posse excusationes cl. SCHVMANNI, quibus in antecessum cauere studet, ne ab iisdem, quibus ego premi dicor, difficultatibus laborare videatur. Caeterum etiam per se nihil consequentiae in eo inest, quod postremo pag. 55. scribit,

scribit, rationes dubitandi, contra me allatas, ad sua principia non eodem iure pertinere posse, quia non ex eodem mecum fonte hauserit. Sunt enim, diuersorum etiam communia quaedam. Fieri igitur posset, vt principia, ex diuersis etiam fontibus ducta, certis difficultatibus communiter premerentur. Mittamus tamen haec, et qualia clariff. SCHVMANNVS ipse principia stabiliat, iustremus.

Consilium viri docti, quod prae se tulit, in eo est positum, vt principium rationis sufficientis, quod tantos motus huc vsque dedit, feruet; immutet tamen aliquantum, vt cum libertate arbitrii consistat; alio autem, atque ego feceram, modo, nempe ex solo repugnantiae principio, illud deducat. Sunt igitur in theoria eius tria examinanda. Primum, an in concludendo recte versetur, verique carere possit meis, quae reprobaui, principiis, nec praeter repugnantiae principium quidquam ad partes vocet; deinde, vtrum conclusio, quam efficit, naturam habeat principii vnius et characteristici, nec ambigui incertaeque applicationis; tandem, an sic principium rationis sufficientis Leibnitianum seruasse, et quidpiam a meis assertis diuersum statuisse, censendus sit. Dico, horum omnium ne vnum quidem illi concedi posse, cuius sententiae rationem reddam.

Exam
theoriae
SCHV-
MANNI
de princip.
rat. suff.

Instituti
ratio.

Primo

SCHV-
MANNI *methodo contingencia rerum gratis sumitur, non probatur.* Primo loco quantum ad hoc attinet, an cl. SCHVMANNVS in deducendis assertis *recte concludendo versetur*; tenendum est accurate, non de assertorum, quae tandem statuit, veritate mihi cum illo disensionem esse, sed de via explananda, qua assertorum certitudo cognosci possit. Quoniam igitur mihi non largitur, incogitabilia cuiusvis generis eo, quem exposui, modo pro falsis putanda esse, sed suscepit, rem omnem solo repugnantiae principio conficere; dandus est illi eiusmodi, quocum disputet, aduersarius, qui nihil agnoscat praeter repugnantiae principium, attamen de rationis sufficientis principio ex illo solo edocendus est. Agedum ergo inducamus talem. Equidem §. XVI. Cl. Auctor praemunit, quaestionem, cur aliquid potius sit, quam non sit, ad eas res non posse applicari, quarum ratio immediate continetur ipso contradictionis principio; adeoque earum rerum rationem vltiorem nec dari, nec quaerendam esse, id quod itaque valeat de possibilitium natura, nec non de rebus absolute necessariis. Concedam hoc de interna et mere metaphysica rerum possibilitate. Sed memorem esse iubeo, vnde sibi constet, dari substantiam aliquam absolute necessariam. Non enim propterea existit, quod aliquis eius notionem effingit, atque deinde, ne secum pugnet, fateri cogitur, existentiae eius superiorem rationem non quaerendam esse. Valet enim hoc tantummodo ea conditione:

ditione: si qua sit. Notemus hoc tantisper. Pergit cl. SCHVMMANNVS pag. 62. *aliter sentiendum, si de rebus natura sua contingentibus quaeritur. Hae, si esse ponuntur, ita comparatae sunt, ut earum loco oppositum adesse non minus possit. Si ergo quaeritur, CUR sint potius, quam non sint, non licet iam ad contradictionis principium confugere; non repugnat enim esse contrarium. Ergo ratio reddenda est ex aliis rebus, cur sint, donec quaestiones illae de rationibus in ente quodam necessario finiantur.* Talia belle procedunt, si mea contingentiae et sufficientis causae principia adsciscuntur. Quodsi solo repugnantiae principio consicienda res est, scaterent omnia principii petitionibus. Quid enim? Liceat mihi tantisper personam hominis induere, qui praeter repugnantiae principium, quaeque ex hoc ducuntur, ignorat et negat cuncta. Quaero ergo, unde scias, dari res contingentes? Dicitis: sunt sane, quae aliter, ac vere sunt, cogitari possunt. Respondeo primum, ne scires quidem, quidquam existere, nisi sensus cogeret, id est, immediata necessitas certas res tanquam existentes cogitandi, a quibus deinceps ad alia, quae existunt, quamquam sensibus subiecta non sunt, ratiocinando peruenitur. Non igitur istiusmodi entium realium conceptus ex tuo hauris principio, quatenus reliquis fraudi esse debet. Deinde quid hoc sibi vult? multa aliter cogitari possunt. Scio. Quid hoc ad rem?

rem? Suntne ideo contingentia? neutiquam. Sint aliter cogitabilia, quaeritur, an fieri unquam potuerit, vt non essent, vel essent aliter, ideoque an definitioni tuae nominali, h. e. explicationi vocabuli, quid voces contingentiam et res contingentes, respondeat verum obiectum extra actum cogitandi? Contendo enim, omnia subiecta simplicia, omnesque eorum vires, aeternas esse, et ex copulatis hisce fluere, quae caduca sunt, necessario tamen, vt, quae sunt, esse oporteat, quae non sunt vel fiunt, ne esse quidem vel fieri possint, quanquam cogitentur. Sic facile puto apparere, cl. SCHVMMANNVM contingentiam rerum gratis sumere.

Similiter gratis sumuntur, quae de re-quirendis rerum causis ponit.

Pergamus ad reliqua. Vrget, in contingentibus quaerendum esse, *cur* potius sint, quam non sint. Hoc non procedit, quamdiu nondum constat, dari contingentia, et qualia sint. Ne tamen disputationis filum abruptum sit, inducam aduersarium, qui concedat res contingentes. Quid igitur, si ille contingentia putet omnia, et vniuersa aliquando non fuisse? Quid, si porro accuset saltum in concludendo, quod statim dicis, quaerendum esse, *cur* potius sint, quam non sint? Nondum enim demonstrasti, quaerendum esse, *cur*? et non potius solummodo, *an*, et quaenam sint. Si igitur dicat, aliquando nihil eorum fuisse, quae nunc sunt, esse tamen aliquando coepisse; quomodo repelleres talem? Non enim dicit, quidquam simul fuisse

fuisse et non fuisse, sed existentiam coepisse in aliquo momento, in cuius praecedenti momento res nondum fuerat. Urgeres forsan: ergo nihilum fuit eius causa, ergo nihilum agere et effectum producere potuit? Cl. SCHV-MANNVS concedit, sic male disputari, et profecto mera esset cauillatio. Aduersarius enim non fingendus est, ac si *τὸ nihilum* simul induceret, tanquam agens, et non enti simul entis naturam tribueret. Responderi potius ad hoc debet, annon simpliciter negari possit, existentiam entis, quod esse incipit, pendere ab existentia et actione alius entis, quod eius causa dicitur, et cur hoc fieri non debeat? Huiusmodi quaestionibus secundum mea principia abunde prouisum est. Patet autem, principium repugnantiae, solitarie sumtum, iis expediendis sua natura ineptum esse.

Iam subsistere possem. Neruis enim prae-
 missarum incisis, etiam reliquam cl. SCHV-
 MANNI demonstrationem, qualiscunque
 tandem sit, liquet, carere non posse princi-
 pio sufficientis causae et contingentiae, et il-
 lis quidem independentem a principio re-
 pugnantiae confirmatis. Quoniam tamen ne-
 quaquam vereor, GENEROSISSIME HAR-
 DENBERGI, ne molestum TIBI sit, copio-
 sorem percipere disputationem, obseruabo
 adhuc pauca quaedam. Mittam multo plu-
 ra, quibus in campum nimis amplum dedu-
 cerer. Video enim, quantum ad existentiam,

Fesellie
 SCHV-
 MAN-
 NVM
formula de
necessitate
ponendi ea,
quae requi-
runtur ad
hoc, ut ali-
quid fit.

G

nec

nec non ad essentias rerum, pertinet, multa etiamnum haerere cl. SCHVMANNO ex systemate, cui adsuefactus videtur, quae longe secus sunt. Neque etiam necessarium est, ea omnia nunc persequi. Potest enim, quae sentio, ex scriptis meis cognoscere, si lectu digna iudicat. Diuidit vir doctus §. XVIII. rationem sufficientem in eam, quae sufficit ad hoc, ut res vel actio fieri possit, et quae sufficit ad hoc, ut res vel actio fiat. Post axioma ponit: *si qua res vere existit, quae antea non fuit, necesse est, omnia illa adfuisse, quae requirebantur ad hoc, ut res illa existeret, eaque rationem sufficientem vocat.* Monendum est, hoc tantummodo valere, si sermo sit de iis, quae *efficienter* seu *causaliter* requiruntur ad hoc, ut aliquid existat, siue quae causaliter conferunt ad existentiam entis, quod oritur. Sed huiusmodi quid cl. auctor nondum deduxit, et ne quidem deducere potest, talia omnino praerquiri ad existentiam entis contingentis, quamdiu mero repugnantiae principio, et solitarie sumto, vitur. Habet igitur haec formula, *requiri ad hoc, ut aliquid existat*, permultum ambigui. Facile enim hoc loco permiscetur abstractio *existentialis* et *causalis*. In quocunque enim auctor existentiae naturam ponat, fateri tamen oportet, interesse aliquid inter existentiam et possibilitatem, et plus poni in existentia, plus igitur ad eam requiri, quam quod inest in possibilitate.

Quare

Quare si vel maxime aliquis disputandi ergo causas efficientes in vniuersum negaret; concederet tamen nihilo fecius, omnia illa adfuisse, quae requirebantur ad hoc, vt res existeret, omnia nempe, quae in ente existente poni necesse est, quaeque eius existentiam constituunt. Est vero huc sollicite aduertendus animus. Multi enim, quando ex principio repugnantiae concludunt, si ponitur ens contingens et existens, ponenda esse omnia, quae requiruntur ad hoc, vt existat: perperam sibi effecisse videntur, posito ente contingente, ponendam etiam esse eius rationem sufficientem. Falluntur nempe eo, quod eadem formula etiam ratio sufficiens indicari solet, ita tamen, vt tunc alia significatio subfit, quemadmodum docui. Deserunt igitur statum quaestionis, et committunt sophisma ignorati vel mutati elenchi. Ipse cl. SCHV-MANNVS ab hoc vitio sibi non cauit. Scribit enim pag. 63. *effectum iam esse, nihil fieri sine ratione sufficiente.* Sed non meminit, se talium rationum, quales quaerebantur, quarumque notiones exhibet pag. 78. 79. necessitatem nondum deduxisse.

Sequitur aliud, quod monendum est. Videtur sensisse cl. SCHV-MANNVS, se aeternam plurimarum rerum congeriem nondum confutasse. Quare posthac §. XXIV. id denuo aggreditur. Sed primum eius argumentum per principium pag. 76. est mera principii petitio. Rationes huiusmodi enim ita subducit: *ponamus rem vnā plurimam*

Congeriem rerum aeternam
SCHV-MANNVS
per principium
petitio-

zare aggre-resue fuisse ab aeterno sine ratione sufficiente, dicitur. ea nempe, de qua egit §. XXII. scilicet quae consistit in eo, ut praeter possibilitatem internam ponantur etiam reliqua, quae requiruntur, ut res existat. *Concedetur ergo, existere quid posse, non praeposita ratione sufficiente.* Quicquid non repugnat existere, illud, si nondum est, non repugnat fieri. Nam si fit, nihil efficitur aliud, quam ut id sit, quod existere posse dicebatur. Itaque si quid existit ab aeterno potest sine ratione sufficiente; fieri etiam potest, ut sine ratione sufficiente quidquam existere incipiat. In consequenti enim non plus sumitur, quam in antecedente. In utroque existentia in genere ponitur, carens ratione sufficiente. Sed supra iam euictum est, oriri nil posse, nisi sufficiens antecedit ratio. Ergo sine eadem nec existit aliquid potest ab aeterno: dummodo sit ex eo rerum genere, quod intestina existendi necessitate destituitur. Estne hoc aliud quidquam, quam probationis loco prouocare ad propositionem aequipollentem, nec non, noua polliceri argumenta, veruntamen ad superiora duntaxat remittere? Insuper vero quam multa hic miscuit vir doctus! Lustremus paululum, quatenus feriat aduersarium ista argumentatio. Quisquis, ut hoc utar, elementa corporum contendit aeterna esse, non sane dicit, quod orta fuerint sine ratione sufficiente. Stipes esset, si simul aeterna diceret et orta. Potius, quoniam omne aeternum

num

num sine dubio necessarium est, accenset elementa corporum rebus necessariis, quarum ulteriolem rationem quaerendam non esse, SCHUMANNVS ipse docuit. Dicis, temere tamen elementa aeterna ponit, temere igitur etiam eorum necessitatem? At ille retundet, te temere ponere contingentia, hinc gratis quoque ex eo, quod orta putas, ad rationem eorum sufficientem concludere. Quid ergo? Nimirum contingentiam elementorum cl. SCHUMANNVS nondum probavit, quin etiam hac via probare non valet. Quid enim? Cogitari, ais, potest, elementa aliquando non fuisse? Repono, sed ideo non repugnat, quod semper fuerint. Instas, vi definitionis huiusmodi res dici contingentes, quae cogitari possint non fuisse? At pergo, quaestionem esse, num recte sic dicantur, et quo iure ex nomine, conceptui pro lubitu imposito, reale quid concludas? Fateris enim, possibile esse, quodcunque non habet repugnantiam. Sed elementum aeternum nihil habet repugnans. Cogeris igitur aut ad confitendum, aeternitatem elementorum esse possibilem, ideoque nesciri, num vlla simplicia contingentia sint; aut de alio contingentiae criterio circumspiciendum est. Accedit deinde, quod aduersarius elementa statuere potest aeterna, et praeterea etiam concedere, nihil eorum defuisse, quae requirebantur ad hoc, vt ab aeterno existerent. Horum igitur complexum si rationem suffi-

cientem vocaueris, liberalis erit, et hoc quoque vocabulum concedet, tamen rem ipsam, quam probare volebas, strenue neget. Est enim dicta formula ambigua, ut monstrauit. Liquet ergo iterum, probandi methodum multo aliter esse instruendam.

Notatur alia insufficientis argumentatio. Altera, qua ibidem vitur, demonstratio similibus laborat vitiiis. *Finge, ait, rem contingentem existentem ab aeterno* (Ecquis, quaeso, talem fingeret? Aeterna non sunt contingentia, et contra. Forasan cl. Auctor dicere volebat, finge subiectum, in quo non insit natura, quae cogitari potest, in se perfectissima, quodque tamen ab aeterno sit) *aut seriem rerum contingentium infinitam finge.* Dein colligit, *si series huic opposita eius loco non minus esse potuisset ab aeterno: aut oppositum illud aequae et pariter fuisse, id quod implicet; aut ideo non fuisse, quoniam, ut sit aliquid, praeter possibilitatem, plura requirantur, nempe quae rationem sufficientem constituent.* Mox subiungit: *Hoc primum euitto, facilis deinde via est, ut obtineamus, ne eam quidem, quae mente et cogitatione tantum fingeatur, seriem A ab aeterno esse posse, quam a ratione sui sufficiente originem ducat.*

Ad quaestiam rationem vere non concluditur. Sed 1) denuo urgeo, sic plane ad rationem sufficientem, e. g. elementorum vel animarum, non concludi. Atque hoc statim animaduertere poterat Cl. auctor, si perpendisset, idem etiam de Deo valere. Dum enim

enim Deum existentem cogito, cogito sane et pono ea, quae ad hoc requiruntur, vt existat Deus, vtque non duntaxat possibilis sit. Sed in Deum secundum SCHVMMANNI disciplinam ratio sufficiens non conuenit. Ergo quamdiu ambigua formula vtitur, *se quid existit, ponenda esse omnia, quae requiruntur ad hoc, vt existat*; ad rationem sufficientem nondum concludere potest. Dissentiens enim istud non negat, sed capit hoc de requisitis existentiae, quibus discernitur ens existens ab ente mere possibili. Quod si vero clarius dixerit, *posito ente, quod ante non fuit, ponendam esse aliud ens, a quo effectum sit, seu cuius actione existentiam acceperit*; perspicuum etiam est, si v. g. de elementis quaeritur, sibi duas propositiones principales adhuc confirmandas superesse. Nempe primum probare tenerur, quod elementa aliquando non fuerint, et refutare eum, qui quaerat, annon etiam aeternum esse possit, cuius non-existentia cogitari potest, quoniam sane aeterna existentia rerum diuersae perfectionis nihil habet repugnantis? Deinde pariter probandum superest, omnia, quae esse incipiunt, etiam existentiam ab alio ente accipere. De hoc sigillatim dispicere eam ob causam necesse est, quia id, quod ponitur antea non fuisse, nunc vero esse, ideo non ponitur simul esse et non esse. Similiter dum ponitur ens aliquod, A, quod oritur, negatur vero alterum ens, B, causa nempe, de qua

ritur, num poni debeat: existentia nequam ponitur et negatur de re eadem, eodemque respectu. Ioculare est, quod obiter moneo, quod aliqui hoc loco expeditam viam in eo reperiunt, quod dicunt, omne ens, quod oritur, esse *effectum*. *Effectus* igitur, et *ens*, quod *esse incipit*, ipsis vnum idemque sunt. At, inquirunt, omnis effectus causam praesupponit, per repugnantiae principium. Ergo quidquid oritur, a sufficiente causa efficitur. Egregii sane disputatores, ad scholam potius ablegandi, quam subtiliter confutandi! Id enim, quod quaeritur, mature iam includunt et sumunt in vocabulo *effectus*, et tam obrusi sunt, ut non videant, quoniam *esse incipere* et *existentiam ab alio accipere* non vnum idemque sunt, quaeri, vnde constet, quae esse coeperunt, ea omnia existentiam ab alio ente accepisse.

*Non ferit
dissentien-
tiam.*

2) Omnis illa viri cl. argumentatio dissentientem ne ferit quidem. Quomodo enim illi tribui potest, si nolit rationem sufficientem entis contingentis confiteri, quod oppositum dicti entis pariter concedere, adeoque repugnantia loqui, cogatur. Quale oppositum innuit cl. auctor? Oppositum contradictorium? Minime. Nam qui dicit: *existit A*, is eo ipso excludit oppositum contradictorium, quod *A non existat*. Dicetne quisquam, elementa ab aeterno fuisse et simul non fuisse? Igitur oppositum contrarium
simul

simul ponet? nempe existit A, et existit etiam non A, id est, multa ab A diuersa pariter existunt. Quid inde? Sed existere tamen, dicere cogetur, omnia, quae praeter A possibilis sunt? Sane. Sed non ideo cuncta, quae tu praeter A cogitatione depingis. Dicit enim, sermonem esse de possibilitate extra cogitationem, non de iis, quae mens fingit et cogitatione tantum depingit. Haec profecto omnium fatalistarum opinio est, nihil eorum vere esse, vel fieri posse, quae non actu sunt fiuntque. Talia itaque confutare, hoc opus, hic labor est. Principio repugnantiae ludere, applicando illud ad definitiones arbitrarie factas, aut in orbem redeuntibus, exigui quidem laboris, at nullius fructus est. In recentiori, quae dicitur, philosophia quum multa sunt misera et manca, tum in primis ea pars, quae de possibilibus et de existentia praecipit, saepe ut haeream, serione auctores talia scribant, an secus.

3) Intelligitur ergo, cl. SCHVMAN-
NVM proinde etiam seriem rerum contin-
gentium infinitam hac via remouere non pos-
se. Immo illa ex principio rationis sufficien-
tis ne quidem confutari potest. Precario sum-
mitur, eam propterea esse non posse, quod
a ratione sui sufficiente originem ducat. Pro-
bandum enim est, seriem rerum, quarum
altera ex altera nexa est, non infinite pro-
gredi, id quod per repugnantiae fit princi-

*Seriem in-
finitam non
recte con-
futaui.*

pium, uti in *Metaphysica* §. 148. sq. docui. Veruntamen per illud ipsum hoc solum conficitur, incipere seriem alicubi. Quod autem membrum primum non ortum sit sine causa, quodque eam ob rem aliquando ad causam aeternam omnium rerum concludi oporteat, hoc principio sufficientis causae debetur, id quod ex supra dictis perspicuum est.

*Principium
SCHV-
MANNI
manet am-
biguum.*

Sic expedito, quod primo loco memorati, quodque ad argumentandi modum pertinebat, videndum etiam est secundum, quod in eo est positum, utrum Cl. SCHVMANNVS, tamen omnia illi concederentur, quod fieri non posse docui, constituat tandem *principium vnum et characteristicum, nec ambiguum*, quod *rationis sufficientis* vocat. Progreditur differendo ita, ut rationes diuidat, exponat sollicite, quid intersit inter rationem sufficientem et determinantem, doceat, quomodo cum libertate consistat illa, haec non consistat, libertatem vindicet a casu fortuiti criminatione, et sic porro. Sed §. XXV. venit etiam ad *rationem sufficientem cognoscendi*. Quoniam tamen a meis abstinendum duxit principiis, generatim tantum, caeteroquin eatenus eodem, quo ego vtor, modo confirmat, omnem cognitionem nostram certis veri characteribus contineri, qui sufficere debeant ad hoc, ut aliquid pro vero habeatur.

Duo

Duo hic desidero. Primum quod istius-*Exponun-*
 modi characteres ex eius theoria nunquam *tur ratio-*
 sufficienter erui possunt. Neque etiam ipse, *nes.*
 quales sint, diserte commemorat. Deinde
 quod verbis utitur tam ambiguus, ut, qui
 his contentus esse velit, non videam, quo-
 modo in disputatione de assensu humano con-
 fusionem rationis *cognoscendi* et *essendi* vel
siendi, nec non rationis *physice* et *moraliter*
sufficientis, vitare queat. Quid enim hoc
 sibi vult, characteres veri sufficere debere
 ad hoc, ut aliquid pro vero *habeatur*? Debent-
 ne sufficere, ut aliquid actu verum a quoquam
 putetur, an ut iure meritoque pro vero ha-
 bendum sit? Vtrumque enim sigillatim excu-
 tiendum est, multumque refert, animum ac-
 curate attendere ad varias causas, quibus as-
 sensus hominum continetur. Datur enim sto-
 lidus quoque assensus, atque is a characteri-
 bus veri insufficientibus, sed praeterea etiam
 a concursu aliarum causarum, praesertim vo-
 luntatis, pendet, qua de re in logica dispu-
 tavi §. 444-447. nec non in thelematologia
 §. 100, et philosophia practica §. 343. *Ra-*
tiones autem *cognoscendi*, quae *sufficientes*
 dicuntur, illae sunt, quae *moraliter* suffi-
 ciunt, nempe quibus positis cum regulis per-
 fectionis congruit adsentiri, et in his acqui-
 escere, agereque secundum haec. Sunt au-
 tem illae varii generis, nec cogunt semper
 intellectum, aut extorquent assensum. Saepe
 maximum eorum pondus in nexu rei propo-
 sitae

fitae cum finibus vel officiis nostris positum est. Rationes ipsae autem possunt a priori esse, vel a posteriori, itemque vel via demonstrationis, vel probabilitatis via, perspicui. Quamobrem duae hae quaestiones magnopere distingui debent, quarum altera iniicitur de *genesi physica assensus*, altera de eo, quod ad assensum perfectionis regulis, seu, ut vulgo aiunt, *rationi congruum, moraliter sufficit*, ita, ut nolle assentiri aut timidi sit, aut stulti, aut impii. At vero hoc solum iamiam rationis sufficientis principium facit ambiguum, et applicationem reddit incertam, si principia essendi et cognoscendi vna propositione comprehenduntur, id quod in tractatu meo §. XL. aliquot exemplis docui. Multo magis igitur ambiguum erit, quando circa ipsum assensum etiam permittentur rationes fiendi, nempe causae physicae actus assentiendi, et rationes moraliter sufficientes ad assensum, quippe quae intelligi debent, ubi rationes cognoscendi idoneae nominantur. Augetur ambiguitas principii etiam hoc, quod, quantum ad cognoscendi principia attinet, secundum cl. SCHV-MANNVM principio rationis sufficientis non modo LEIBNITII more simul comprehenduntur rationes cognoscendi *a priori*, ex quibus perspicitur, *cur* aliquid ita sit, nec aliter, sed ipsae quoque rationes cognoscendi *a posteriori* illuc referuntur. Quomodo cunque igitur enuntiet suum principium,

satis

facis disertam enim eius enuntiationem in tractatu non reperio, ambiguitatem sane non vitabit, multo minus si Leibnitianam elocutionem sine vlla mutatione seruare placeat.

Faciamus periculum. *Quicquid est, rationem habet sufficientem.* Ratio *sufficiens exemplis.*

est SCHVMANNO, quae omnia confert, quae requiruntur, ita vt nihil desideretur amplius. Sed possibilitas interna, et entia necessaria, iuxta eum non habent rationem sufficientem, nempe *rationem fiendi*. Habent tamen *rationem cognoscendi*. Quomodo igitur hoc ex ambiguo principio intelligi potest? Determinatoribus sane opus est propositionibus. Aliud consideremus exemplum. Actionum humanarum ratio sufficiens datur, datur etiam actionum machinae, diuerso tamen modo, fatente Cl. SCHVMANNO. Nam quae in machinis contingunt, semper efficiuntur rationibus determinantibus, et causis gignuntur, quae ad vnum agendi modum determinatae fuerunt, et ex quibus perspectis effectus praeuideri potest. Hominum vero actiones aut non ducuntur ab eiusmodi causis, quibus positae res aliter cadere non potuit, sed a mere sufficientibus, aut certe non omni tempore et loco. Ais igitur, attamen ratio sufficiens Schumanniana omnibus communis est. Concedo. Sed ex eius principio discrimen non cognoscere licet, quod sciri maxime attinebat.

tinēbat. Quare hoc principium non magis accuratam reddit eruditionem, quam sufficeret politico, si quis pro principio poneret, in omnibus Europae partibus magistratus dari et subditos, dein contenderet, ex hoc principio deduci posse, quae in singulis Europae prouinciis pertineant ad perspiciendas regiminum formas, nec non ad gerendam rempublicam, videlicet quia haec omnia sub notionibus istis generalibus tamquam species subordinari possunt. Quod si meum principium sufficientis causae, tum principium contingentiae, denique rationis determinantis principium rite tenentur (tres sane tam faciles et luculentas propositiones memoria tenere difficile non est) aut vnica etiam, quam in tractatu meo §. XLIV. exposui, propositio ponitur: euanescit omnis illa ambiguitas. Rationes enim cognoscendi speciatim tractandas, et logicae relinquendas esse, docui, quemadmodum morales suis disciplinis. Sed cl. SCHVMANNVS maluit propositionem nimis laxam et vagam, qua ipse quidem falsi nihil statuit, sed qua uti etiam non potest ad concludendum. Scopum igitur, ad quem tendebat, ex oculis amisisse videtur.

SCHVMANNVS Restat postremo, vt videamus, an cl. SCHVMANNVS tractatu suo *seruet principium rationis sufficientis* illud, de quo controuersia agitatur. Nego igitur, et pernego. Non enim de ratione sufficiente, communi

muni sensu accepta, dubitatum est, veluti, de quo dis-
 quicquid oritur a sufficiente causa effici, sensio est.
 quicquid a libertate non proxime pendet, a
 causis suis ineuitaliter proficisci, ita, vt, re-
 bus sic comparatis, hoc, non alio, modo con-
 sequatur. Sed omnis dissensio de sententia fuit *Quae res*
 Leibnitiana, num, posito quocunque, ponend *proprie*
 dum sit aliud quidpiam, ex quo ratio reddi *agatur.*
 possit, cur potius sit, quam non sit, nec non,
 cur ita sit, non aliter. Praeterea quoniam
 cognitionis humanae principium agitatur, de
 eo etiam sermo non est, num in Deo omni-
 um rerum praescientia derur. Nam si quis
 persuaderet sibi, verum esse assertum eo,
 quod certe, in intellectu diuino ponendum sit
 aliquid, ex quo intelligi possit, quae quam-
 que rem res consequatur, is sane a statu
 quaestionis aberraret. Id enim, quo Deus
 futura praeuidet, est interna naturae suae in-
 finita perfectio, nobis quidem imperuestiga-
 bilis. Conuenit etiam inter omnes, prae-
 scientiam diuinam neuiquam efficere, ut sit
 illud, quod Deus futurum praeuidet, et
 rationibus fiendi nequaquam adnumeran-
 dam esse.

Perpicuum vero est ex scriptis LEIB- *Verum*
 NITII, eum id agere, vt consecutionem *Leibnitii*
 omnium rerum necessariam stabiliat, hoc *consilium.*
 est, fatum, seu ἐμαρτύρησιν illam veterum
 decantatam, splendidius tamen exornatam.
 Putabat enim, fatum consueta inuidia libe-

rari posse, dummodo caecum ne concipia-
 tur, nec quidquam fumatur, cuius non ex
 positis principiis vniuersalibus ratio reddi
 possit. Hinc, vt magnorum virorum inge-
 nium, etiam quando errant, praefulget, fa-
 tum suum longe prudentius instruxit, quam
 vnquam factum esse credo. Remouit enim
 fatum illud caecum, quod ab omnibus fere
 reprehenditur, multo magis astrale, panthei-
 sticum aliaque ineptiarum genera. *Fatum*
 vero fabricauit *sapiens*, quemadmodum illi
 videbatur, quanquam, vt in tractatu §. VII.
 notauimus, rectius *oculatum* diceretur, quoniam
sapiens nullo modo dici potest, quod per se
 insipiens est. Continetur autem fatum Leib-
 nicianum his potissimum placitis, vt omnes
 causas agentes, quoties agunt, ad vnicum
 agendi modum determinatas esse, concipiat,
 hanc ipsam vero determinationem in essen-
 tiis rerum, quas omnes necessarias credit,
 reperiat. Eminet in eius systemate praeci-
 pue, quod ens supremum vbique optimum
 sequi, optimum vero natura sua non nisi
 vnum esse, autumat. Hinc ipsius mali ratio-
 nem exinde repetit, quod flagitia ex erro-
 ribus, errores ex limitatione essentiarum ne-
 cessaria pendeant, Deus vero, mundum eum
 optimum esse, intellexerit, in quo bona et
 mala insint, et partium imperfectiones, quae
 putentur, ad maiorem vniuersi perfectionem
 conferre. Haec igitur vt procederent,
 opus

*Fatum
 Leibnitia-
 num qui-
 bus rebus
 continea-
 tur.*

opus habuit principio rationis determinantis, quale ab illo constitutum est. Quo igitur posito, fatum ubique regnat, sed ita, ut catenata omnium series non modo enti supremo cognita et perspecta sit, verum etiam ob solam ipsius perfectionem infinitam omnia sic, non aliter, producta existimentur. Applicauit deinde suo systemati verba, quibus vulgo utimur, atque libertati, virtuti, praecepto, legi, aliisque verbis, eas subiecit potestates, quas excogitatum systema patere-
retur, et sibi aliisque persuasit, hoc modo res non tolli, quae nominibus usu frequentatis significantur, sed rectius explicari. Quae vniuersa num recte tribuam LEIBNITIO, iudicium esto eorum, qui legerunt, atque etiam intelligunt.

Iam expendat cl. SCHVMANNVS, an SCHV- ipse sit, qui seruet principium rationis suffi-
cientis, de quo inter doctissimos viros dis-
fensio est. Leibnitianum enim illud esse
oportet, quia de hoc vno eruditi dissident,
de reliquis facile congruunt. Quod si igi-
tur, mutatione facta, quam vult cl. auctor,
in qua quidem re mecum consentit, licet discre-
pet verbis, vniuersum ruit LEIBNITII syste-
ma, caduntque ferme omnia, quae in philoso-
phia prae reliquis philosophis singulariter sta-
tuit: estne controuersum principium sic serua-
tum? Num cl. SCHVMANNVS, quem LEIB-
NITIVS multis fecerat, fucum eius asseclis pa-

*Prudentia
Leibnitii in
retinendis
nominibus
consuetis*

*principium
dissimilli-
mum est
Leibnitia-*

et tollit
philosophi-
am Leibni-
tianam.

riter facere tentat, nempe ut, a quibus
magnopere dissentit, cum his tamen loqua-
tur? Nescio, qui scribere potuerit vir doctus
pag. 80. *licet sententia huius principii hoc
modo paullulum immutata sit, conclusiones ta-
men ex principio vulgari adhaec ductae ex illo
eadem facilitate consequuntur.* Hoc longe
secus est. Vera enim philosophiae asserta
neutrquam ex principio Leibnitiano fluunt,
eiusque latitudine non indigent, sed ex
principiis angustioribus satisque notis; quin
ob ambiguitatem ex illo ne deduci quidem
rite possunt, sed subordinantur tantummodo
notioni generali, ex qua colligi non pote-
rant. Omnes sane norunt, species, quan-
quam comprehenduntur sub genere, non ideo
ex genere semper colligendo educi posse. E
contrario, quae propria sunt Leibnitianis, ruunt
paene omnia, si valet SCHVMMANNI propo-
sio, nec scribere debebat: *eundem ergo usum
in disciplinis praestat, cuius causa ple-
rique principium Leibnitianum tantopere ad-
amarunt.* Annon enim remouetur ineuita-
bilis consecutio omnium rerum siue fatum,
hypothesis de mundo optimo, de peccato ex
limitatione oriundo, principium indiscernibili-
um, perplexa illa de essentiis, praecipue mo-
nadum, de natura necessarij et contingentis, aliis-
que permultis placitis, theoria? Atqui opus
quidem est, talia remoueri et profligari, sed
animaduertendum, quibus positis principiis
cadant.

cadant. Non enim audiendus est cl. SCHV-SCHV-MANNVS, qui postquam §. XXVI. rationes MANNVS morales transeundo attigerat, scribit: *sed de falso nebis et similibus copiosius disputare vix fuerit operae pretium, cum ea et non magno in discrimine versentur, et tota illa controuersia, versari quam nunc agimus, rationes fiendi, quae vocantur, quam maxime spectet.* Quomodo hoc loco se expediet vir doctus, vt sibi ipsi constet? Falsus enim est, principio Leibnitiano libertatem tolli. Potestne maius esse discrimen, in quo versentur res morales? Quis dixerit, controuersias de rationibus fiendi parum attinere ad res morales, quarum omnis vis et natura peruertitur, simulac omnia, quae fiunt, fati necessitate, caeci illius vel oculati, deuincta sunt? Si ratio sensu sumitur Leibnitiano, vt fit, ex quo intelligi potest, cur aliquid potius fit, quam non fit, et cur ita fit, non aliter; vera est tantummodo propositio particularis: *quaedam ita comparata sunt, vt positis illis ponendum etiam sit, ex quo a priori perspicere licet, cur potius sint, quam non sint, atque ita sint, non aliter.* Quoniam tamen propositio particularis in concludendo non potest pro principio esse: exposui condiciones, quibus valet praedicatum, et sic propositio restricta, sed vniuersalis, verumque rationis determinantis principium, efficitur, nempe *omne id, quod non actio libera est, attamen*

oritur, a causis ita determinatur, ut ex
 his intelligi possit, cur ita, non aliter, con-
 sequatur. Caeterum alterum illud ne ad
 hunc quidem locum pertinet, nihil cum ra-
 tione pro vero haberi posse, nisi quod suffi-
 cientibus veri criteriis constat. Totum enim
 hoc ad rationes cognoscendi spectat. Hunc
 igitur in modum quum disputarem, dixi
 etiam ingenue, quod res est, nempe sic re-
 moueri principium Leibnitianum, tanquam
 improvide nimis dilatatum, contra restitui,
 quod ab omnibus, qui fatum nolunt, sed
 rectam rationem sequuntur, semper iudica-
 tum est. Cl. SCHVMANNVS autem, dum
 pag. 80. tractatum ita claudit: *principium ra-
 tionis sufficientis eo sensu, quo adhuc a plerisque
 sumitur, et quo libertati aduersatur, demon-
 stratum nondum est, neque demonstrari potest;
 proinde alias ob causas a libertate potissimum
 petitas, illud non puto esse vniuersaliter ve-
 rum. Est autem verum de rebus omnibus
 contingentibus, si rationis vocabulum paullo
 latiori sensu accipiatur.* Et iterum in nota:
*res omnes existentes, contingentes, non libere
 agentes, habent rationem sufficientem:* num
 attulisse videtur, quae faciant ad seruandum
 principium, de quo mota lis erat? Si quis
 igitur dixisset, omnem obligationem duci a
 sola prudentia, omnia officia esse erga seipsum,
 omnes homines esse nobili genere natos, et
 similia, omnes enim hae propositiones lati-
 tudine

tudine peccant; fuscipere eodem iure possem, vindicare haec et asserere. Nempe terminos praedicati paullo aliter definirem, quod non sine specie fieret, vbi animus foret, paradoxa ingeniose flectere. Veruntamen nec feruarem perperam dicta, nec disciplinis nouum augmentum adderem.

Sed fufficiant haec. Supererant quidem *Epilogus.* multo plura, quae contra cl. SCHVMANNVM adnotari poterant, si omnia attingere vellem, vbi vel, in definiendo differendoque hallucinatum esse, reor, vel vbi ita loquitur, vt sentiam, placita philosophorum praesupponi, quae concedi nequeunt, vel vbi in laudandis iudicandisque aliorum locis opinionem potius mihi secutus videtur, quam veritatem. Verum contineo me, quoniam iam supra modum epistola excreuit, quae breuior esset, PERILLVSTRIS HARDENBERGI, nisi, quo TE complector, adfectus effecisset, vt ad TE scribens, quam multa scripsissem, vix animaduernerim. Satis mihi erit, si hoc vnum fuero consecutus, vt partim, docte et ingenue cl. SCHVMANNVM scripsisse, vberius intelligeres, quamquam praefixam metam nondum attigerit, partim aliquid mea manu exaratum TECUM haberes, quod superiorum temporum colloquia aliquando in memoriam reuocaret. Neque etiam mei causa hoc solummodo exopto, etsi amicitia TUA nihil mihi venerabilius est

et dulcius. Potius distractum TE inter splendidissimae aulae strepitus subinde ad lenem illam suauemque litterarum oblectationem reuocari cupio, quae vniuersae rei litterariae fructuosa erit, vtpote quae magnum in TE statorem iam veneratur, multo magis vero et impensius in posterum etiam expectat. Vtinam meritorum TVORVM late manantium, fructuumque excellentissimi ingenii TVI vberriorum, me primo quoque tempore spectatorem et admiratorem esse iubeat diuina, cuius nutu omnia reguntur, prouidentia. Huic vero TE, PATRONE, FAVOR, AMICE OPTIME, non in praesentia modo, sed multo magis et quotidie piis ad Deum precibus commendo. Mei vero vt TIBI memoriam commendem, ne opus quidem duco. Scribebam Lipsiae, mense Februario, A. N. C. CIO IDCCLII.











33 $\frac{2}{4}$

s

AB 33 $\frac{2}{4,4}$

Fl 724^k





B.I.G.

Farbkarte #13

D. CHRIST. AVGVSTI CRVSI
S. THEOL. PROF. PVBL. ORD. IN ACAD. LIPS.
ET PHILOS. PROF. PVBL. EXTRAORD.

EPISTOLA

AD
PERILLVSTREM
ET

GENEROSISSIMVM DOMINVM
DOMINVM

IOANNEM ERNESTVM
L. B. AB HARDENBERG

CVBICVLI REGII, IN AVLA POTENTISS.
MAGNAE BRITANNIAE REGIS ET ELECT.
BRNSVICENS. VICECOMITEM, DYNASTAM
IN HARDENBERG, GEISMAR, LINDAV,
WIDERSTEDT, RELIQVA

DE
SVMMIS RATIONIS PRINCIPIIS
SPECIATIM

DE
PRINCIPIO RAT. DETERMINANTIS
OPPOSITA

V. CL. M. IO. DAN. SCHVMANNI
PAEDAGOG. CLAVSTH. DIRECT.
ANIMADVERSIONIBVS
IN RECENTEM DE PRINCIPIO RAT. SVFFIC.
CONTROVERSIAM.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.
A. MDCCLII.